



W. G. FARLOW.





Fadente sculp

Vincentius Briganti

Natus VII° idus Junii 1766, vita excessit nonis Aprilis 1836.

Physica callentem Briganti, et moribus aequis
Verax fama canit, et longum prorogat aevum.

M. Can^us Bianchi.

HISTORIA
FUNGORUM
REGNI NEAPOLITANI

PICTURIS AD NATURAM DUCTIS ILLUSTRATA,

OPUS INCHOATUM

A VINCENTIO BRIGANTI

IN ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO PUB. PROFESS., REG. SCIENT. ACADEM. SOC. ETC.

ATQUE A FRANCISCO EJUS FILIO,

ADDITIS OBSERVATIONIBUS PLURIBUS AC FIGURIS, CONTINUATUM,

ET IN LUCEM EDITUM.



NEAPOLI,

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

1848.

AD

PRAECLARISSIMOS DOCTISSIMOSQUE VIROS

REGIAE SCIENTIARUM ACADEMIAE NEAPOLITANAE

FRANCISCUS BRIGANTI.

Jam quartum pene labitur lustrum, ex quo tres priores nostrae Mycologiae diatribas praesenti libro contentas, sub titulo: Historia fungorum Regni Neapolitani. Specimen I, II et III, *huic Regiae Scientiarum Academiae dilectissimus mihi genitor exhibebat; easque benigne e Societate sodales excipiebant, et quam citissime in lucem prodituras efflagitabant, tanquam initium laboris pro Neapolitana Flora Cryptogamica adhuc in votis. Ejusmodi porro utiles atque gravissimas auctoris elucubrationes, tum lenta voluminum hujusce Academiae pervulgatio, quae vix unum et alterum, hoc est, quartum et quintum elapso tam longo temporis spatio in lucem prodire permisit; tum inopinatae caussae adversaeque vicissitudines, quae post auctoris obitum invaluere,*

utrinque dispersas, et fere prorsus oblitas reliquerunt. Unus tamen huic injuriae obstabat filialis affectus, qui cum in ceteris parentum memoriam praeterire non sinat, aliisque colendam tradere rationibus variis doceat, me a directis patri meo laudibus exhibendis, saepe vanis aut fallacibus, distulit; sed id melius persuasit, ut ab ipsiusmet scriptis, assiduisque scientificis curis debitam virorum existimationem et cultum illi caperem.

Sacro itaque hoc munere adactus, tum naturalis affectus, tum communium cum illo studiorum, in quibus toto conatu me erudire sategit, neque labori neque pecuniis parcendum esse censui, quo distracta illius specimina recuperarem, eaque posterioribus meis subnecterem, quae et ipsa in actibus Academiae probata, passim typis demandare constitueram.

Vix pauca vero ex originali scripto fragmenta mihi supererant, quae tantum in repetendis pro qualitate temporis locorum perlustrationibus, ubi ille primum fungorum copiam collegerat, adjumento essent: qua quidem in re nedum facilis et opportuna investigatio arrisit, sed et votis uberior mihi fructus occurrit; nam ultra maximam vegetantium partem, in quam animo intendebam, nonnullas quoque species ac varietates, aliorumque affinium cryptophytorum copiam coëgi. Quare non unis modo complendis, quae in autographis descriptionibus reperiebantur, lacunis, verum etiam singulis speciebus novo examine discutiendis studere opinatus sum: idque post recens illud lumen, quo Scientia isthaec mycologica ob assiduas neotericorum curas aucta est; necnon addi-

tis, ubi opus fuit et quantum potui, opportunis mutationibus, utilibus observationibus: rursus necessariis figuris propria a me manu, quo ad naturam fidelius exigerentur, exaratis: permultis demum, specificis nominibus, quae in aliorum operibus idem et frustra sonabant, ad synonymorum chaos effugiendum, commutatis.

Quae sane omnia, Sodales praestantissimi, non ad majorem mihi gloriam arripiendam monita esse volo, sed contra ut veniam facilius obtineam, si quid in scriptis irrepere aut deficere innotescat: non secus namque de his auspicari fas est, cum posthuma in lucem prodeant proindeque omni excusatione digna: In opere posthumo multa sunt condonanda. *Monendum immo et illud hoc loco est, mirum nemini esse debere, si minorem nunc rerum novitatem referre haec scripta videantur, quam olim habere visa sunt, ubi primum Vobis fuerunt oblata: ipsa siquidem tarda illorum editio, aut dispersio, in caussa fuit, ut nonnullas fungorum species jam tum a patre meo descriptas depictasque, tanquam ab aliis posteriori aetate designatas traducerem. Cum enim positivo potius scientiae progressui attenderem, quam gloriae inventionis, hanc ipsam debitam auctori suo vindicare neglexi; et tales libenter posteriores specificas phrases elegi, quae naturalium objectorum characteres lucidius atque intensius menti omnium exhiberent.*

His ita comparatis, jam typis haec scripta meis impensis demandare constitueram, cum, excitata majori nostrae Academiae sollicitudine, ut dignae sociorum elucubrationes ederentur, eques Vincentius Flauti perpetuo

a secretis, IX. Kalendas Martii exacti anni 1846, distinctam a me de triplici praedicto parentis mei specimine rationem jugi officio expostulabat: cujus gratissimis jussis cito obtemperans, totidem enarratas vicissitudines singillatim aperui, ut et ipse socios ea de re opportune instrueret. Hinc itaque factum est, ut Vos, doctissimi viri, inita sessione XVI. Kalendas insequentis Aprilis, ea judicii libertate quidquid ad incrementum scientiarum confert prosequuti, quae elatis ingeniis congruit, decrevistis, tum mycologicas parentis dissertationes inter Academiae acta inserere, tum impensas a me curas mercede aliqua cumulare.

Quo novissimo singularis benevolentiae ac humanitatis officio adductus, fateor, Sodales praestantissimi, me majorem vim atque virtutem cepisse, ut opus expedirem, cujus originem et vices narrando » reviviscere » patrem hic ego meum volui, quasi suum erga Vos » cultum, suumque grati animi specimen pro vestris in » me meritis referentem: volui, ut eo extincto id ipsum » intelligatis, quod candida voce vivus fecisset ».— Valete.

Neap. V. Kal. Augusti,
M DCCC.XLVII.

VINCENTII BRIGANTI

DE

FUNGIS REGNI NEAPOLITANI

HISTORIA.

Specimen I, II et III.

PRAEFATIO.

TRIENNIUM effluxit, ex quo, cl. Sodales, de nova *Agarici* specie, ex fungis sub nostro coelo nascentibus, primo meo labori Vobis exhibito lubenter adspirastis (1); et ardens studium, quod de aliorum notitia non obscure tunc ostendistis, mihi valde calcaria admovit, quo inceptum opus, quod rudis mentis meae acies potis erat, novis tentaminibus, majorique alacritate prosequerer. Huic porro labori, ut Vobis obtemperarem animo instititi ad aliorum potius solertiam hac in re excitandam, quam desiderio celebritatis, gloriaeque comparandae adductus: id quod, an plene ac feliciter assecuturus sim, nec facile conjicio. Res enim est de objectis, quorum investigatio quo jucundior ob illorum miram formam, colorumque varietatem, potissimum si materno terrae sinu adhuc haerentes observantur; ob ipsamque structuram; quae non naturae lusum, aut plantarum vitia, sed SUPREMI OPIFICIS manum aperte arguit; eo tamen difficilior pro insigni numero, nimiaque inter singulos similitudine: quod certe plurimum negotii vel valde in

(1) Conf. Acta nostrae Acad. Vol. III. *(Classe di Fisica e Storia naturale)* pag. 121.

hujus rei studio instructis non raro facessit; praesertim cum nullo modo asservari, aut certo tempore assuetisque semper locis reperiri ad curiosi scrutatoris nutum possint, ob anni vicissitudines; adeoque ne ad constantes quidem observationes mutuasque comparationes instituendas exigi. Hinc factum fuit, ut pauci de iisdem accurate scripserint; eoque usi fuerint non levi studio, arduis curis, diuturna constantia ac summa virtute, quibus omnibus haec rei fungariae perquisitio indiget, ut ad exitum perducatur.

Nunc igitur hanc ego provinciam tot salebris circumseptam pro viribus aggredi conabor: idque non nisi post aliorum virorum absolutas atque eruditissimas exercitationes, maxime post illas, quas novissime ill. Persoonius et Friesius, quarum titulus: *Synopsis methodica fungorum* (1), *Mycologia europaea* (2), *Systema mycologicum* (3), tam copiosis ac dilucidis inventis instructas exhibuere, ut nihil amplius optandum videretur (4). Quoniam tamen ferax Naturae penu, ut unaquaeque regio fungos quosdam peculiares, et quodammodo sibi proprios alat, praesertim cum haec nostra, quae pro hujusmodi studio, ni me fallat opi-

(1) Gottingae, 1801.

(2) Erlangae, 1822-1828.

(3) Gryphiswaldiae, 1821-1830.

(4) Quamvis, ut infra dicendum, laudatos scriptores sequuti sumus, saepenumero quoque alios veteres recentioresque adivimus, praesertim qui in hac re fungaria, uti Bulliard, De Candolle, Nees, Sowerby, Bolton, Paulet, Trattinnick, Batsch, Scaeffer, Link, Swartz, Ehrenberg, Dittmar, Roques, Vaillant, Battarra, Micheli, Albertini, Viviani, Vittadini, Venturi, atque ut alteros promotores taceam, majorem celebritatem adepti sunt, majoremque fidem merentur.

nio, infans sit adhuc, ... » nec ingeniis investigata priorum »; idcirco certam spem foveo me haud ingratum, nec supervacaneum suscepisse laborem. Praeter enim quatuor species fere omnes ex perniciosis a nostro Fab. Columna in *Ecphrasi* (1) insculptas; nonnullas de esculentorum genere patriis vocibus a Joann. Bapt. Porta in cap. lxx, et lxxi. lib. x. *Villae* suae relatas (2), qui, monente Clusio, » omnium diligentissime, quidquid veteres de fun» gis scriptum reliquerunt, peculiari complexus est capi» te (3), ac perpaucas a Vinc. Petagna (4) et Mich. Tenore (5) in propriis rei herbariae institutionibus adumbratas: nemo profecto alius ad haec usque tempora peragrasse has indigenas stirpes gloriari merito potuit; quamvis apud nos ubique locorum, perinde ac aliae cujusvis familiae affluenter, variique generis abundant. Tot enim regionum et soli differentiae, ac innumerae plantae, quae apud nos observantur, commodam eis sedem, atque uberrimam alimoniam praestant: quod mirum famulitium in omnibus plantis adeo Natura spectandum praebet, ut nullum prorsus vegetabile, immo nullam cujusvis partem tum viridem, tum arefactam aut maceratam eis carere patiatur. Nihil igitur nos movere debeat, si novae semper ac rariores facillime se prodant.

---

(1) Romae, 1616, pag. 335-339

(2) Francofurti, 1592, pag 764-770.

(3) Vid. *Brev. hist. fung. Pannoniis observat.*, ad calcem *Rarior. plant. hist.* Antuerpiae, 1601, pag. 288.

(4) *Instit. botan.* Neapoli, 1785, tom. V, pag. 2112-2136.

(5) *Corso di bot. lez.* vol. IV. (*Flora med. univers.*, e *Fl. partic. della provinc. di Nap.*) *Napoli*, *1822*, pars I, sect. 2, pag. 238-260.

Me tamen non fugit, unius labores tanti non esse, ut exhibere valeant tot divitias nostrae naturalis historiae; potissimum hodie cum neotericorum diligentia est effectum, ut nonnullae etiam ex *Lichenum*, aliarumque congenerum familia stirpes fuerint pro fungis habitae, et tot partium plantarum vitia, posthabitis illis variis, quae credula antiquitas tenuit, ab iisdem proficisci nunc est compertum: quibus novis parasitis gentibus microscopiorum auxilio, et nuperiori industria reseratis, quae vitiatis succis, ac alimenti earum partium viis, a quibus et sedem et victum exigunt, varias in eis, sub monstrosa earumdem configuratione, morbosas affectiones constituunt; nil mirum, si nova in dies segete fungorum census feliciter augeatur. Quamobrem in illustranda hac Botanices parte, patrium solum satis ubique exornante, ne gravi pondere unius ingenii vis obruatur, non inconsultum duxi in peculiari albo omnes jam cognitas species, etiam apud nos vitam agentes, alias Vobis praebere; et nunc, ut vero melius opes nostrae aperiantur, tanquam in antecessum hujus operis, quod certe temporis diuturnitatem postulat, ne longius vestra vota morer, quanta meae est mentis tenuitas, operae pretium erit raras proferre, novas describere, ac incertas illustrare: quae sane ad scientiae augumentum, et penitiorem hujus partis nostrae rei herbariae historiam comparandam praesto erunt. His igitur breviter propositis, quod ad hujusce operis methodum pertinet, progredior; de qua nunc vel pauca quaedam erunt praemonenda.

Omnes has cryptogamas stirpes notatu digniores, quae passim nostris regionibus occurrunt, in tot specimina partiri satagam, quorum singula earumdem duodecim comprehen-

dent. Nullus tamen ordo in earum distributione mihi servandus fuit: quas enim in annuis peregrinationibus sum offensurus, eae in proximis speciminibus statim describuntur; atque inde ad calcem operis earum turba in methodum redigi poterit. Genera vero a laudato PERSOONIO et FRIESIO in memoratis voluminibus constituta, et in specierum ac varietatum descriptionibus istorum auctorum rationem sum complexus. Hisce autem, ut earum determinatio planior fieret, adjunxi loca natalia, probatiora synonyma atque accuratas observationes; et ea tantum schemata iconographorum admisi, quae consulere apud nos mihi datum, et quae experientia docuit, uti fida habenda esse. Quoad fieri potuit, nonnullorum fungorum usum, praesertim si vescendo forent, etiam scrutatus sum, ut edules a perniciosis dignosci queant: etenim ab industris viris ac longo usu edoctis duntaxat intellectum hoc argumentum, cum non pauci inter lethales inveniantur esculentis persimiles, et saepe sua jucunditate adeo gulosis palatum excitent, ut eos in mortis discrimen non raro perducant.

Pro majori hujuscemodi exercitationis intelligentia, et ne quid hujus rei studiosis auxilii desit, ut moris est, tabulas non rudi manu pictas addidi, ubi quisque fungus summo studio veris coloribus fucatus in propria statura, et nativo situ se offert: immo curae fuit illum sistere aut supinum aut longitudinaliter dissectum, quo hymenii textura plane conspiciatur, et lentis vitreae ope ii augeri possint, in quibus obscure emergunt partes; adeo quidem ut ex sola etiam pictura facilis illius rei cognitio reddatur. Mihi vero non parum laboris suscipiendum fuit, ut tum eorum historiam, tum

imaginum delineamenta ex almae patentisque Naturae tabulis conficerem: non paucos immo ex rarioribus vel in cera effingendos curavi, si cui volupe sit oculis certioribus intueri(1); quamvis admodum difficile fuerit ejusmodi stirpes herbariis servare, aut in privatis hortis colere: ut autem a nativo terrae gremio parum pervellantur, pro molli nimium earum substantia tenuissimaque compage, confestim formam et colorem amittere, cuique luculenter patet.

Primum itaque de iis rarioribus fungis agam, qui superiori tempore autumnali in Citeriori Principatu, ubi potissimum rusticabar, mihi se se obtulere, praeter nonnullos etiam Calabriae, Aprutio et Neapolis viciniis repertos, quique trium speciminum summam plene explent: haec autem diutius apud me minime manebunt, sed ita erunt constituta, ut hoc primum et alterum, quae jam Vobis sisto, tertium proxime sequatur. Aliquas tantum species eodem tempore repertas, sed adhuc mihi dubias, deinceps proferam, donec posterioribus curis in earum natalibus locis repetitis a me non fuerint perpensae. Uberior vero haec prior fungorum messis fuisset, si ob mea munera in urbem reverti minime debuissem, et maxime si tristis proximae Vesuvianae conflagrationis pernicies ad alias excursiones capessendas in extrema rusticatione mihi non obstitisset, et in graviores animi anxietates ea otia commutasset. Quamvis ab ignivomo monte ultra septuaginta millia abessem, et minime nostris oculis se se mons ipse conspi-

(1) Quamplurima istaec praeparata non solum in meo thesauro mycetoideo reposita sunt, sed nonnulla etiam in Regio Materiae medicae Museo spectatoribus ostenduntur.

ciendum daret, vis tamen sabiei in ea calamitate, memoria posterorum digna, a fero ejusdem impetu in altum per atrae nubis vortices elata, ac urgentibus ventis ad nos evecta, cum omnia misere ac luctuose obruisset, plures per dies pulchrum plantarum, aliarumque rerum naturalium aspectum eripuit. Fumus et caligo saepe saepius aëris serenitatem turbarunt; et noxii acidi muriatici (*hydrochlorici*) odor, qui interdum excipiebatur, nec non crebrae terrae commotiones ab illis botanicis observationibus me prorsus avocarunt (1), quas tamen sua anni aetate fortius, Summo adjuvante Numine, mihi redintegrare fas erit; ne desim ea, quae temporum opportunitas, meaque patietur tenuitas, labore prosequi; ubi haec alia nostra tentamina Vobis, uti aequis arbitris, fuerint probata.

Et haec quidem ad nostrum mycologicum laborem attinent, et ea studia, quibus elapso autumno, ῥᾳθυμίας taedium avertendo, animum detinui, quae quamvis in infimi stirpium ordinis contemplatione versantur, minime quidem dulci et utili carent. Extremum vero est ut illud fatear, has patriae Florae delicias quantumvis a me illustratas, et hanc lampadem licet sero aliis sim traditurus, tantam nihilominus praeseferre copiam, ut tanquam exigua pars ab opulentissima nostra botanica supellectili selecta non immerito sit agnoscenda; ideoque habebunt profecto posterae aetatis bota-

---

(1) Conf. opus equitis T. Monticelli et N. Covelli, cui titulus: *Storia de fenomeni del Vesuvio avvenuti negli anni 1821, 1822 e parte del 1823, con osservazioni e sperimenti. Napoli, 1823;* in quo longius et erudite hac super re disseritur.

nici plurimum pensi, quod hujus scientiae studiosis persolvant. Semper vero satis erit me monstrasse iter a nostratibus intentatum, et a pulchrioribus ac rarioribus exordium fecisse; caeteri profecto in hujusmodi Naturae objectis scrutandis oblectamento et exemplo ducti, ad majora tentanda excitabuntur: quo sane pacto hujus rei herbariae nostrae patriae cognitio summum perfectionis apicem procul dubio pertinget.

Vestro igitur judicio, praestantissimi Viri, in obsequii argumentum haec tria specimina et alia, si vita otiumque suppetet, venerabundus subjicio, quod inani haudquaquam, ni fallor, spe Vos minime dedignaturos confido; nam vestram humanitatem parem sapientiae nullus est qui ignoret. Juvat porro quod praefatus sum his verbis MALPIGHII Magnae Societati Anglicanae suam diatribam *de formatione pulli in ovo* exhibentis absolvere: » singulorum instituta discussione, vel novos indicate labores, vel perpetuo feriari jubete ».

Vinc. Briganti.

Neap. prid. Id. Augusti,

M. DCCC. XXV.

CONSPECTUS SYSTEMATICUS

GENERIS AGARICI

Juxta cl. FRIESII mentem.

CLASSIS PRIMA.

HYMENOMYCETES.

CHARACT. Hymenium nudum.

(†. *Evoluti*. Ascis perfectis.)

ORDO PRIMUS.

PILEATI.

CHAR. Receptaculum dilatatum, subinde ramosum, in formam orbiculatam tendens. Hymenium inferum. Asci fixi.

GENUS I. — AGARICUS, *Linn.*

CHAR. *Lamellae* e centro vel basi radiantes, simplices, parallelae, immixtis plerumque brevioribus, e membrana duplici arcte connexa compositae, transversim planae, a pileo subdiscretae, longitudinaliter vel utrinque ascigerae. — *Stipes* nunquam reticulatus, raro obliteratus. — *Pileus* carnosus vel membranaceus, horizontalis in adultis, determinatus, margine libero, juniori inflexo, nunquam effusus, crustaceus etc. — *Velum* varium, nullum. (FR. Syst. myc. vol. I, pag. 8.)

CONSPECTUS

Divis. e velo, lamellis, sporidiis, nec non pilei indole; inde series sequentes et tribus:

Ser. 1. **Leucosporus.** Velum varium vel nullum. Lamellae immutabiles. *Sporidia alba.*

* *Stipite centrali, velato.*

Trib. I. Amanita. Velum duplex; universale discretum, partiale annuliforme, subpersistens.

Trib. II. Lepiota. Velum simplex, universale, concretum, annuliforme, subpersistens.

Trib. III. Armillaria. Velum simplex, partiale, discretum, annuliforme, subpersistens.

Trib. IV. Limacium. Velum fugacissimum, viscosum. Lamellae adnato-decurrentes.

Trib. V. Tricholoma. Velum fugacissimum, flocculosum, marginale. Lamellae emarginatae, vel rotundatae.

** *Stipite centrali, nudo.*

Trib. VI. Russula. Pileus carnosus, demum depressus. Lamellae aequales, exsuccae. *Sporidia in nonnullis lutescunt.*

Trib. VII. Galorrheus. Pileus carnosus, demum depressus. Lamellae inaequales, lactescentes.

Trib. VIII. Clitocybe. Pileus carnosus, junior convexus. Lamellae inaequales, exsuccae. *Variae.*

Trib. IX. Collybia. Pileus carnoso-membranaceus, planiusculus. *Parvae, aridae.*

Trib. X. Mycena. Pileus membranaceus, campanulatus. *Graciles. Stipes fistulosus.*

Trib. XI. Omphalia. Pileus membranaceus, vel carnoso-membranaceus, junior umbilicatus. *Variae.*

*** *Stipite excentrico, nullo.*

Trib. XII. Pleurotus. Pileus excentricus, lateralisve. *Varii.*

Ser. 2. **Hyporhodius.** Velum nullum. Lamellae decolorantes. *Sporidia rosea.*

Stipes omnibus centralis. Conf. 1.**

Trib. XIII. Mouceron. Pileus carnosus, demum depressus. Lamellae longe decurrentes. *Odor farinae recentis.*

Trib. XIV. Clitopilus. Pileus carnosus, convexus. *Varii.*

Trib. XV. Leptonia. Pileus carnoso-membranaceus, e convexo-planus. *Parvae.*

Trib. XVI. Nolanea. Pileus membranaceus, campanulatus. *Graciles. Stipes fistulosus.*

Trib. XVII. Eccilia. Pileus umbilicatus. *Lamellae adnatae.*

Ser. 3. **Cortinaria.** Velum praesens, araneosum. Lamellae decolorantes, arescentes. *Sporidia ochracea.*

Stipes omn. centralis. Conf. 1.*

Trib. XVIII. Telamonia. Velum annuliforme, contextum, subpersistens. Lamellae distantes.

Trib. XIX. Inoloma. Velum fugax. Lamellae emarginatae. Stipes bulbosus. *Color subviolaceus.*

Trib. XX. Phlegmacium. Velum fugax, viscosum. Lamellae adnato-decurrentes. *Color acyaneus.*

Trib. XXI. Dermocybe. Velum fugax. Lamellae confertae. Stipes aequalis. *Variae.*

Ser. 4. **Derminus.** Velum praesens, non araneosum. Lamellae decoloratae, subpersistentes. *Sporidia ferruginea.*

* *Velo distincto.* Conf. 1.*

Trib. XXII. Pholiota. Velum siccum, annuliforme. *Variae.*

Trib. XXIII. Myxacium. Velum viscosum, fugax. Lamellae adfixae.

Trib. XXIV. Hebeloma. Velum marginale, fugax. Lamellae emarginatae.

** *Velo fugacissimo, 1. spurio.* Conf. 1.** et. ***

Trib. XXV. Flammula. Pileus carnosus, convexus, glaber, subviscosus. Lamellae non emarginatae.

Trib. XXVI. Inocybe. Velum e pilei carnosi, convexi fibrillis longitudinalibus. Lamellae albidae.

Trib. XXVII. Naucoria. Pileus carnoso-membranaceus, planiusculus, squamulosus. *Parvae. Lamellae cinnamomeae.*

Trib. XXVIII. Galera. Pileus membranaceus, campanulatus. *Graciles. Stipes fistulosus.*

Trib. XXIX. Tapinia. Pileus umbilicatus, margine villosus. *Variae.*

Trib. XXX. Crepidotus. Pileus excentricus, vel sessilis. *Varii.*

Ser. 5. **Pratella.** Velum praesens, non araneosum. Lamellae decolorantes, nebulosae, dissolubiles. *Sporidia fusco-purpurea.*

Omnes centrales.

Trib. XXXI. Volvaria. Velum universale, discretum. *Volva.*

Trib. XXXII. Psalliota. Velum annuliforme.

Trib. XXXIII. Hypholoma. Velum marginale, fugax. Lamellae emarginatae vel adnatae. *Stipes subaequalis, bulbosus.*

Trib. XXXIV. Psilocybe. Velum fugacissimum. Pileus subcarnosus stipesque aequalis tenaces.

Trib. XXXV. Psatyra. Pileus submembranaceus stipesque fragiles.

Trib. XXXVI. Coprinarius. Lamellae subdiffluentes. Velum partiale. *Sporidia nigricantia.*

A. **Coprinus.** Asci segregati, quaterna sporidiorum serie. Velum universale. Lamellae liberae cum pileo diffluentes. *Sporidia nigra.*

B. **Gomphus.** Lamellae longe decurrentes, ramosae. Pileus turbinatus, subumbonatus. *Sporidia nigra.*

*

CONSPECTUS

Divis. e velo, lamellis, sporidiis, nec non pilei indole; inde series sequentes et tribus:

Ser. 1. Leucosporus. Velum varium vel nullum. Lamellae immutabiles. *Sporidia alba.*

* *Stipite centrali, velato.*

Trib. I. Amanita. Velum duplex; universale discretum, partiale annuliforme, subpersistens.

Trib. II. Lepiota. Velum simplex, universale, concretum, annuliforme, subpersistens.

Trib. III. Armillaria. Velum simplex, partiale, discretum, annuliforme, subpersistens.

Trib. IV. Limacium. Velum fugacissimum, viscosum. Lamellae adnato-decurrentes.

Trib. V. Tricholoma. Velum fugacissimum, flocculosum, marginale. Lamellae emarginatae, vel rotundatae.

** *Stipite centrali, nudo.*

Trib. VI. Russula. Pileus carnosus, demum depressus. Lamellae aequales, exsuccae. *Sporidia in nonnullis lutescunt.*

Trib. VII. Galorrheus. Pileus carnosus, demum depressus. Lamellae inaequales, lactescentes.

Trib. VIII. Clitocybe. Pileus carnosus, junior convexus. Lamellae inaequales, exsuccae. *Variae.*

Trib. IX. Collybia. Pileus carnoso-membranaceus, planiusculus. *Parvae, aridae.*

Trib. X. Mycena. Pileus membranaceus, campanulatus. *Graciles. Stipes fistulosus.*

Trib. XI. Omphalia. Pileus membranaceus, vel carnoso-membranaceus, junior umbilicatus. *Variae.*

*** *Stipite excentrico, nullo.*

Trib. XII. Pleurotus. Pileus excentricus, lateralisve. *Varii.*

Ser. 2. Hyporhodius. Velum nullum. Lamellae decolorantes. *Sporidia rosea.*

Stipes omnibus centralis. Conf. 1.**

Trib. XIII. Mucedon. Pileus carnosus, demum depressus. Lamellae longe decurrentes. *Odor farinae recentis.*

Trib. XIV. Clitopilus. Pileus carnosus, convexus. *Varii.*

Trib. XV. Leptonia. Pileus carnoso-membranaceus, e convexo-planus. *Parvae.*

Trib. XVI. Nolana. Pileus membranaceus, campanulatus. *Graciles. Stipes fistulosus.*

Trib. XVII. Eccilia. Pileus umbilicatus. *Lamellae adnatae.*

Ser. 3. Cortinaria. Velum praesens, araneosum. Lamellae decolorantes, arescentes. *Sporidia ochracea.*

Stipes omn. centralis. Conf. 1.*

Trib. XVIII. Telamonia. Velum annuliforme, contextum, subpersistens. Lamellae distantes.

Trib. XIX. Inoloma. Velum fugax. Lamellae emarginatae. Stipes bulbosus. *Color subviolaceus*.

Trib. XX. Phlegmacium. Velum fugax, viscosum. Lamellae adnato-decurrentes. *Color acyaneus*.

Trib. XXI. Dermocybe. Velum fugax. Lamellae confertae. Stipes aequalis. *Variae*.

Ser. 4. Derminus. Velum praesens, non araneosum. Lamellae decoloratae, subpersistentes. *Sporidia ferruginea*.

* *Velo distincto*. Conf. 1.*

Trib. XXII. Pholiota. Velum siccum, annuliforme. *Variae*.

Trib. XXIII. Myxacium. Velum viscosum, fugax. Lamellae adfixae.

Trib. XXIV. Hebeloma. Velum marginale, fugax. Lamellae emarginatae.

** *Velo fugacissimo, 1. spurio*. Conf. 1.** et. ***

Trib. XXV. Flammula. Pileus carnosus, convexus, glaber, subviscosus. Lamellae non emarginatae.

Trib. XXVI. Inocybe. Velum e pilei carnosi, convexi fibrillis longitudinalibus. Lamellae albidae.

Trib. XXVII. Naucoria. Pileus carnoso-membranaceus, planiusculus, squamulosus. *Parvae*. *Lamellae cinnamomeae*.

Trib. XXVIII. Galera. Pileus membranaceus, campanulatus. *Graciles*. *Stipes fistulosus*.

Trib. XXIX. Tapinia. Pileus umbilicatus, margine villosus. *Variae*.

Trib. XXX. Crepidotus. Pileus excentricus, vel sessilis. *Varii*.

Ser. 5. Pratella. Velum praesens, non araneosum. Lamellae decolorantes, nebulosae, dissolubiles. *Sporidia fusco-purpurea*.

Omnes centrales.

Trib. XXXI. Volvaria. Velum universale, discretum. *Volva*.

Trib. XXXII. Psalliota. Velum annuliforme.

Trib. XXXIII. Hypholoma. Velum marginale, fugax. Lamellae emarginatae vel adnatae. *Stipes subaequalis, bulbosus*.

Trib. XXXIV. Psilocybe. Velum fugacissimum. Pileus subcarnosus stipesque aequalis tenaces.

Trib. XXXV. Psatyra. Pileus submembranaceus stipesque fragiles.

Trib. XXXVI. Coprinarius. Lamellae subdiffluentes. Velum partiale. *Sporidia nigricantia*.

A. Coprinus. Asci segregati, quaterna sporidiorum serie. Velum universale. Lamellae liberae cum pileo diffluentes. *Sporidia nigra*.

B. Gomphus. Lamellae longe decurrentes, ramosae. Pileus turbinatus, subumbonatus. *Sporidia nigra*.

VINCENTII BRIGANTI

DE

FUNGIS REGNI NEAPOLITANI

HISTORIA.

Specimen Primum.

SPECIERUM DESCRIPTIONES.

NUM. I.

AGARICUS OVOIDEUS, Bull.

Var. *a*, Agar. leucosarcos, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. I. *Amanita*, Fr.)

Agar: magnus totus albus; pileo primum hemisphaerico, dein e campanulato-plano carnoso laevi-nitido, margine plus minusve reflexo integro; lamellis subconfertis ventricosis crassiusculis a dimidiatis alternatim distinctis; lamellulis postice rotundatis integerrimis; stipite brevi firmo tereti annulato bulboso; volva connata laxa.

Amanita candida, Brig. (non Pers.) - Conf. delle Chiaje, Enchir. di Tossicol. teor.-prat. pag. 14, 129, §. IV, et Atl. fasc. III, tab. IV, fig. 3, 4 (quoad habitum).

Post diuturnas pluvias, autumno in locis sterilibus Principatus Citerioris (*Salvitelle*, *Caggiano*, *Auletta*, *Cava*) fere semper solitarium inveni; et cum e terra erumpit, forma et colore ovi similis, unde ejusdem provinciae ruricolae vel *fungio uovo* vel *volozza bianca* appellant.

Obs. - *Pileus* 6 unc. et ultra latus, disco magis carnosus, margine semper laevis (1). *Hymenium* fere ad adultam aetatem veli membrana obtectum, quae postea in multas scinditur lacinias, libere pendentes. Eadem membrana incompleta, crassa, exterius floccosa, aeque ac stipitis superficies a volva ad apicem tenui ac candido polline, veluti pulvere amyli, scatet. *Lamellae* 7-10 lin. ad medium latae, in statu juniore lacteae; lamellulae postice nunquam dentato-lacerae ut in inscripta specie. *Stipes* ad basim valde obesus, sordide albidus et radiculis hinc inde praeditus, 4 - 5 $\frac{1}{2}$ unc. longus, versus apicem vix 1 crassus, deorsum vero 2. *Annulus* superus, flaccidus, in miculas furfuraceas fatiscens. Substantia mollis ac albissima. Sapor minime ingratus; odor graveolens, *Corallinae officinalis* ferme simillimus, qui diu permanet, et a longe etiam percipitur. Nomen a λευκός et σάρξ deductum.

Agricolae vis hujus fungi noxiae ignari, et forsitan a tenera ejus carne, albo colore ac sapore non acri decepti, saepe in cibum recipiunt; at semper ab anxietate, verti-

---

(1) Leucomyces pectinatus, et Leucomyces pectinatus alter, Battar. Fung. arim. pag. 27, 28, tab. 4, fig. D. Fungus esculentus, e volva erumpens, totus candidus, pileolo ad oras striato, etc. *Cocolla bianca, buona, maggiore.* Mich. Gen. plant. pag. 185, tab. 77, fig. 1. - Friesius sub *Agar. ovoidei* descriptione has species, uti synonyma, male indicat (Syst. myc. vol. I, pag. 15), quia praeter nonnullas alias notas, eaedem pro pilei marginibus constanter striatis non modo distant a Bulliardiano agarico, sed etiam a varietate de qua agitur. Potiorem vero laudem meretur solertissimus Carolus Vittadinus in suo opere: *Descriz. dei fung. mang.* (pag. 13), quo ipso historiam dicti *Agar. ovoidei* ex scriptoribus antiquis haud incongrue illustrando, fere consimiles emendationes jampridem promulgavit.

gine, nausea, vomituratione, torminibus, alvi fluxu prehensi sunt, unde inter perniciosos est adnumerandus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. I. Fungus maturus, nativae magnitudinis $\frac{1}{4}$ minor.
Tab. II, *fig.* 1. Ejusdem fungi sectio perpendicularis.
..., *fig.* 2. Individuum immaturum, adhuc in volva absconditum.
..., *fig.* 3. Idem aetatis ferme praecedentis, per verticem sectum; *a*, *a*, *a*. volva; *b*, *b*. pileus; *c*, *c*. hymenium; *d*, *d*. rudimenta veli.

NUM. II.

AGARICUS CAERULEO-VIRIDIS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. Trib. II. *Lepiota*, Fr.)

Agar: solitarius mediocris; pileo carnoso glauco, primum ovato, subinde e campanulato expanso laevi viscoso; lamellis confertis amoene lacteis; stipite tereti dilute glauco, ab annulo ad basim squamulis, recta linea fere dispostis, obducto.

Agar. caeruleo-viridis, Brig.-Conf. delle Chiaje, Enchir. di Tossicol. teor.-prat. pag. 11, et Atl. fasc. III. tab. III, fig. 3, 4 (male).

In locis sterilibus udis, ac densis sepibus prope Cajanum (*Caggiano*), Principatus Citerioris oppidum, novembris initio provenit. Sat rarus, suspectus.

Obs. - *Pileus* 1 unc. latus et ultra, obtuse umbonatus, tempestate humida magis viscosus, disco tantum caeruleo-virescens; margine ab initio integro, involuto, et hinc inde membranulis veli universalis ornato. *Lamellae* inaequales, convexae; majores postice subacutae, vix stipitem attingentes; minores vero rotundatae. *Stipes* cylindricus, in pileum diffusus, cavus, intus substantia bombycina non raro farctus, fere 2 unc. longus, et 3 lin. crassus; versus basim incurvus, subbulbosus, ac nonnullis radiculis ornatus. *Annulus* persistens, a lamellis remotus, erectus, calyciformis, margine laciniato, supra fuscus, infra, uti stipes, squamulosus. Caro albo-aquosa, mollis, ingrata.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. III, *fig. 1*. Fungus perfecte evolutus, ac sua propria mole pictus.

...., *fig. 2*. Idem per longum dissectus.

NUM. III.

AGARICUS ALBO-SERICEUS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. III. *Armillaria*, Fr.)

Agar: solitarius mediocris totus albus; pileo subcarnoso orbiculari planiusculo ac late umbonato; lamellis confertis inaequalibus postice acutis; stipite tereti tortuoso se-

riceo, ad basim tuberoso; annulo remoto (infero) deorsum reflexo tenui subfugaci.

Agar. tortuosus, Brig. (non Fr.) - Conf. delle Chiaje, Enchir. di Tossicol. teor. - prat. pag. 11, et Atl. fasc. III, tab. III, fig. 1, 2 (quoad formam).

Neapoli ad terram post autumnales pluvias collegi in marginibus regiae viae, vulgo *Strada del Campo*.

Obs. - *Pileus* 1-1½ unc. latus, glaber, et in ultima fungi aetate forma, margine, ac superficie valde irregularis inspicitur. *Lamellae* integrae a nonnullis dimidiatis distinctae, et usque ad apicem stipitis productae. *Stipes* solidus, nitidus, 2 unc. et ultra longus, ac fere 4 lin. crassus. *Velum* simplex, partiale, stipite innatum, et ad marginem pilei in junioribus individuis annexum.

Odor uti in aliis fungis edulibus; caro albissima, tantisper ore detenta saporem acrem excitat. Apud nos certum nomen non habet.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. IV, *fig. 1*. Individuum descripti agarici non satis evolutum.

...., *fig. 2*. Fungus alter in sua ultima aetate et in situ, quo ipse pileus, superna hymenii pars, atque annulus observantur.

*

NUM. IV.

AGARICUS LIMACINUS, SCHAEFF.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. IV. *Limacium*, Fr.)

AGAR: pileo carnoso (non lato) convexo-plano glutinoso fuligineo olivaceo nigrescente; lamellis subdecurrentibus candidis; stipite farcto transversim rimoso pileo concolore, apice niveo. - Ex PERS.

Agar. limacinus, SCHAEFF. (non SCOP.) Fung. tom. IV, pag. 74, tab. 312.- PERS. Syn. fung. pag. 355 (descriptio minime erronea, ut refert FRIESIUS in opere infra cit. pag. 36, vers. 11). - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 94. - Ejusd. Comment. pag. 123. - *Agar. olivaceo-albus*, FR. Syst. myc. vol. I, pag.35 (in statu juniori). - Ejusd. Obs. 1, pag. 5. - *Agar. striatus*, SCHUM. Saell. pag. 321 ?

Ad terram in montis Alburni faginetis, ineunte autumno, rarior occurrit.

OBS. - Fungus mediae magnitudinis, solitarius, noxius, triviali nomine destitutus. *Pileus* primo subconicus vel umbonatus, demum late campanulatus vel convexo - planus (nunquam vero circa umbonem depressus), viscidus, 1 - 2 unc. latus, superficie inaequalis, margine incurvus, ac obsolete striatus. *Lamellae* inaequales, crassiusculae, distantes, adnato-decurrentes, integerrimae; majores vix 1 ½ lin. latae. *Stipes* sat firmus, 2-3 unc. longus, fusco-maculatus, pariter viscosus, subradicatus. *Velum* tenue, fugacissimum.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. V, *fig. 1.* Par fungorum descriptae speciei, *a.* juniorem, et *b.* maturitati proximum, hae primae imagines nativa mole exhibent.

...., *fig. 2.* Fungus perfectus e latere visus.

...., *fig. 3.* Idem fungus per apicem sectus, ad internam hymenii ac stipitis naturam patefaciendam.

NUM. V.

AGARICUS ALBO-BRUNNEUS, PERS.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. V. *Tricholoma*, Fr.)

AGAR: pileo laevi viscoso umbrino; lamellis adnexis albis; stipite farcto glabro, apice squamuloso. - Ex FR.

Amanita petiolo bulboso, pileo hemisphaerico spadiceo, lamellis albis. HALL. Helv. num. 2398. - *Agar. striatus*, SCHAEFF. Fung. tom. IV, pag. 18, tab. 38 (an species distincta?). - *Agar. albo-brunneus*, PERS. Syn. fung. pag. 293. - Ejusd. Comment. pag. 15. - FR. Syst. myc. vol. I, pag. 37. - Ejusd. Obs. II, pag. 118. - (b) *Agar. glutinosus*, BULL. Champ. tab. 258 et 539, fig. C, D, F. (forsan var. pro loci natura aliisque cosmicis momentis? Excluditur deinde tab. 587, fig. 2, quae etiamsi ab ipso BULL. hoc quoque nomine distincta, et a FR. citata, certe diversae speciei adscribenda est). - *Agar. limacinus*, var. *β. viscophorus.* PERS. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 94.

Solitarius, gregarius, et raro subcaespitosus in saltubus montuosis Calabriae (*Pollino*, *Sila*), inter folia dejecta coniferarum autumno viget.

Obs. - *Pileus* carnosus, 2-$3\frac{1}{2}$ unc. latus; initio fere globosus, postea convexo-planus, obtusus, demum disco subdepressus, margine plus minusve striatus. *Lamellae* inaequales, exsuccae, postice dente decurrentes; hinc summa cum Limaciis affinitas. *Stipes* in adultioribus cavus, $1\frac{1}{2}$-3 unc. longus, 4-8 lin. crassus et ultra, subventricosus, pileo paullo dilutior. *Velum* partiale, floccosum, fugacissimum. Color etiam rufus vel fuscescente-lividus. Caro subcompacta, albida, sapore acri-felleo.

Fungus antecedente major, sed pariter noxius; nec vero ut mera illius varietas cum Persoonio habendus est (Myc. l. cit.), sed videtur prorsus distinctam sistere speciem, juxta ejusdem cl. auctoris descriptionem in sua Synopsi (l. cit.) primum adumbratam. Collatio nonnullorum characterum utriusque speciei clare nostram sententiam demonstrat.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. VI, *fig.* 1. Caespes fungorum diversae magnitudinis et figurae.

...., *fig.* 2. Fungus perfecte maturus, centro pilei depressus.

...., *fig.* 3. Idem mediae aetatis, ad perpendiculum dissectus.

NUM. VI.

AGARICUS FLAVO-VIRENS, Pers.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. V. *Tricholoma*, Fr.)

Agar: pileo carnoso compacto flexuoso flavescente, squamulis nigrescentibus variegato; lamellis emarginatis dilutioribus; stipite sublongo, deorsum attenuato laevi concolore. - Ex Pers.

Agar. equestris, Linn. Flor. suec. num. 1219? - Ejusd. Spec. plant. pag. 1642? - Pet. Inst. bot. pag. 2116? (descriptiones aegre conveniunt). - *Agar. aureus*, Schaeff. Fung. tom. IV, pag. 19, tab. 41. - *Agar. luteus*, Batsch. Elench. fung. - *Agar. flavo-virens*, Abbild. der Schw. 3.tes Heft. - Pers. Syn. fung. pag. 319. - Ejusd. Comment. pag. 16. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 179. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 41.

In pinetis Calabriae occidentalis (*Aspromonte*), cum *Agar. vaccino* hanc speciem novembris mense rarissime inveni. Villicis nomen latet.

Obs. - *Pileus* saepe difformis, obtusus, dein depressus, siccus, margine parum involutus, 3-5 unc. latus; etiam flavo-rufescens, sed tempestate frigida virescit. *Lamellae* numerosissimae, inaequales, liberae, postice rotundatae; lamellulae vero subobtusae. *Stipes* brevis, uncialis et ultra, durus, fibrosus; in junioribus basi incrassatus, et quodammodo tuberosus. Caro alba, firma, sapore miti et non ingrato odore praedita. Dubius.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. VII, *fig.* 1. *Agaricus flavo-virens* in sua prima aetate, et ab hymenii parte delineatus.

...., *fig.* 2. Idem fungus semi-evolutus, e latere visus.

...., *fig.* 3. Ejusdem sectio perpendicularis.

...., *fig.* 4. Individuum integrum, perfecte evolutum.

NUM. VII.

AGARICUS LURIDUS, Schaeff.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. IV. *Tricholoma*, Fr.)

Agar: subgregarius; pileo carnoso convexo virescente-subcinereo, disco obscuriore; lamellis angustis subcrassis lutescentibus; stipite solido squamuloso, pileo concolore. - Ex Pers.

Agar. luridus, Schaeff. Fung. tom. IV, pag. 30, tab. 69. - Pers. Comment. pag. 28. - Ejusd. Syn. fung. pag. 321. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 181 et 182. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 40.

Inter folia arida et muscos, praesertim in Lucaniae sylvis (*Buccino*, *Auletta*, *Scorzo*) sero autumno non infrequens occurrit. A plebicolis *fungio sarvateco* vocitatur; perniciosus.

Obs. - Explanationes Persoonianae optime nostris speciminibus conveniunt, quas infra referre curavimus, ut

nihil de eorum singulis notis omittatur. - Agar. (sic cl. auctor. in l. cit. Myc. europ.) » magnitudine est communi et forma regu- » lari. *Stipes* $1\frac{1}{2}$ - 2 unc. longus, unc. 1 fere crassus, aequalis aut » deorsum parum incrassatus, durus, interdum cinerascens. » *Lamellae* confertae, inaequales, emarginato-adnatae, » planae, 3 lin. latae, etiam albae, pallescunt. *Pileus* 1 » unc. latus, non viscosus ». *Velum* partiale, albidum, fugacissimum.

» Variat sequente modo. *Pileus* nunc est glaberrimus, » fere nitens, nunc minutim squamulosus; squamulis ni- » gricantibus, aut concoloribus. *Lamellae* albidae, etiam » latae. *Stipes* nunc rectus, nunc incurvus, subinde fle- » xuosus. Odor satis fortis, sed non ingratus, et sapor sub- » amaricans, aut adstringens, etiam virosus ».

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. VIII, *fig. 1.* Tres fungos a congestis foliis quercuum assurgentes, anteriori parte haec icon exprimit; quorum minor nondum evolutus, duo majores perfecte maturi.

...., *fig. 2.* Fungus junior, quoad hymenii faciem visus, et e proprio velo denudatus.

...., *fig. 3.* Idem perparvus similiter inspectus, ubi velum floccosum *a*, *a*, fere integram hymenii superficiem obtegens, animadvertitur.

...., *fig. 4.* Individuum maturitati proximum, ab apice pilei ad stipitis basim dissectum.

NUM. VIII.

AGARICUS VACCINUS, SCHAEFF.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. V. *Tricholoma*, Fr.)

AGAR: pileo carnoso umbonato piloso-squamoso rufo; lamellis adnatis albido-rutilis; stipite elongato fibrilloso rufo.- Ex PERS.

Fungus siccus vaccini coloris, HALL. Enum. stirp. helv. pag. 49. - *Agar. vaccinus*, SCHAEFF. Fung. tom. IV, pag. 13, tab. 25. - PERS. Syn. fung. pag. 293. - Ejusd. Comment. pag. 10. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 184.- FR. Obs. II, pag. 126. - Ejusd. Syst. myc. vol. I, pag. 42. - *Agar. rufus*, PERS. Icon. et descript. fung. fasc. I, pag. 6, tab. 2, fig. 1-4.

In nemorosis Calabriae occidentalis, ad terram sub densis *Pini sylvestris* et *brutiae* arboribus, recedente autumno crescere solet.

OBS. - Fungus gregarius vel subcaespitosus, mediocris, fere unicolor, odoris expers; sed ejus caro tenuis, amara ac spongiosa. Nomen apud ruricolas habet nullum; noxius. *Pileus* 1 ½ - 3 ½ unc. latus, in speciminibus nondum bene evolutis campanulatus, in adultioribus convexo-planus, interdum subumbonatus, margine tomentoso. *Stipes* in pileum diffusus, cylindraceus, striato-fibrillosus, subcortinatus, cavus praesertim in vetustis, 3-4 unc. longus, versus apicem 6 lin. crassus, basi vero semper crassior. *Lamellae* latiusculae, postice acutae, inaequales, emargi-

natae, primo albidae, demum rufo-maculatae. *Velum* partiale, fibrillosum, fugacissimum.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. IX, *fig.* 1. Duo fungi jam descriptae speciei ex humo enascentes; *a.* unus perfecte evolutus, superiori facie visus; *b.* alter vero junior, ima parte spectatus.

...., *fig.* 2. Varia individua basi stipitis connata, quoad crescendi modum, formam, et nativam molem observantur.

...., *fig.* 3. Fungus nondum explicatus, per verticem sectus; ut *a.* hymenii structura in prima ejus aetate, et *b, b.* veli fibrillae circa pilei marginem adhaerentes, pateant.

...., *fig.* 4. Idem fungus maturitati proximus, pariter recisus.

NUM. IX.

AGARICUS CONICUS, SCOP.

Var. *e*, Agar. Chroma, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

AGAR: parvulus subsolitarius fllavo-aureus; pileo conico, apice obtuso dilutiore, margine irregulari; lamellis confertis adscendentibus antice ventricosis pilei umbone concoloribus; stipite nudo cylindrico striato, basi fusco.

In herbosis, et praediorum ambulacris autumni tempore circa Neapolim, et Salvitellense territorium hanc speciem passim collegi.

Obs. - *Pileus* membranaceo-carnosus, a latere productus, humidus, 5 lin. - 1 unc. longus, et 3-9 lin. latus, in junioribus rubro flavoque tinctus. *Lamellae* inaequales, majores minoribus latiores, postice attenuatae, ac denticulo desinentes. *Stipes* saepe tortilis, vix fistulosus, 1-3 unc. longus, 1-3 lin. crassus. *Chroma* diximus ob coloris similitudinem, quam habet cum plumbi chromate, vulgo *giallo di croma.*

Post varietates a Friesio in Syst. myc. (vol. I, pag. 103, num. 8) literis *a, b, c, d.* signatas, alteram huc retulimus lit. *e*, quae, ut pluries observavimus, certe distincta, quia minime colore variat, nec fracta nigrescit. Ab affinibus tamen speciebus, nempe ab *Agar. ceraceo* Wulf., et *chlorophano* Fr., forma pilei aliisque notis abunde differt.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. X. *fig. 1.* Tria individua descriptae varietatis in diverso evolutionis gradu, et ex herbosa gleba enascentia.

...., *fig. 2.* Individuum perfecte maturum, quoad faciem externam pilei.

...., *fig. 3.* Idem ad perpendiculum sectum; *a.* alterum junioris aetatis pariter recisum.

NUM. X.

AGARICUS CERACEUS, Wulf.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

Agar: gregarius parvulus (potius mediocris); pileo convexo-plano viscoso substriato laete luteo; lamellis adnato-decurrentibus distantibus, stipiteque subinaequali flavis. - Ex Fr.

Fungi parvi undique lutei? J. Bauh. Hist. lib. XL, cap. 69. - *Fungus pascuorum exiguus, lutescens,* Buxbaum. Cent. IV, tab. 28, fig. 3. - *Fungus flavescens, viscidus, oris striatis,* Hall. Enum. stirp. helv. pag. 46. - *Agar. ceraceus,* Sowerb. Fung. tab. 20. - Pers. Syn. fung. pag. 336. - Ejusd. Myc. europ. Sect. III, part. I, pag. 233 (formae variae). - Wulf. in Jacq. Miscell. vol. II, pag. 105, tab. 15, fig. 2. - Pet. Inst. bot. pag. 2116. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 102. - Swart. Obs. bot. pag. 87. - *Agar. hypoxanthus,* Otto, pag. 87.

In graminosis prope Neapolim rarus, et in pascuis Picentinis haud infrequens. Augusto-octobri.

Obs. - *Pileus* subcarnosus, diaphanus, late umbonatus, tempestate sicca nitens, $\frac{1}{2}$ - 1 $\frac{1}{2}$ unc. latus, margine plerumque undato-reflexo. *Lamellae* latae, inaequales; majores triquetrae, denticulo terminatae. *Stipes* fissilis, cavus, glaber, raro aequalis, at saepe compressus, 1 - 2 unc. longus, et deorsum attenuatus. Caro fragilis, aquosa, insipida, in cibariis non recepta.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XI. *fig.* 1. Duo fungi immaturi, in superficie visi.
...., *fig.* 2. Individuum maturitati proximum.
...., *fig.* 3. Individuum perfecte evolutum, per verticem sectum.

NUM. XI.

AGARICUS VELUTIPES, Curt.

Var. 1, Agar. melanorrhizus, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

Agar: caespitosus parvus; pileo hemisphaerico complanato luteo, vertice fusco, margine dilutiore; lamellis inaequalibus ventricosis concoloribus; stipite leviter angulato, apicem ac basim versus dilatato; radice caulescente subcartilaginea extus nigra.

Autumni fine hanc speciem aspectu pulchram in truncis marcidis arboris fici legi. Caespites plusquam octoginta individuis diversae aetatis constabant.

Obs. - *Pileus* 4 lin. ad unc. 1 et ultra latus, siccus, inaequalis, glaber; margine depresso, tenui ac ordinate striato. *Lamellae* fere liberae, postice obtusae; integrae alternatim a dimidiatis distinctae. *Stipes* una cum radice 2 unc. longus, et 1 ½ lin. crassus, cavus, tenax, fuscus, et ad lentem tomentosus; apice, uti lamellae, dilute luteo.

Varietas insignis, an nova species? Sententiam remitto ad hodiernos mycologicos auctores. Varietates interim β. *Sphinx*, γ. *atropes*, δ. *fuscipes*, quae in Syst. myc. Friesii (vol. I. pag. 119 et 120) leguntur, characteres plane distinctos a supra relatis exhibent.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XII, *fig.* 1. Pars caespitis *Agar. melanorrhizi* nativa magnitudine, cum variis speciminibus pro diverso situ ac maturitatis statu, quorum unus (*fig.* 2) seorsim longitudinaliter est dissectus.

...., *fig.* 3. Tomentum stipitis ope microscopii auctum.

NUM. XII.

AGARICUS AURICOLOR, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

Agar: subcaespitosus raro solitarius totus croceus; pileo carnoso obliquo, supra parum obscuriore et sericeo-nitente, ab initio convexo-deflexo, dein planiusculo, tandem infundibuliformi; lamellis latiusculis longe decurrentibus utrinque inaequaliter attenuatis; stipite solido subexcentrico undulato varie distorto.

Agar. auricolor, Brig. Fasc. I.° di fung. litogr. Nap. 1824, tav. 2. - Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Rapp. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1827, pag. 40. (*Fungus aureus infundibuli forma*, an *Fung. perniciosus intense aureus*, Mich. Gen. plant. pag. 147 et 191? Ob mutilos harum specierum characteres pluries haesi, etiamnumque animi pendeo).

Decedente octobri in sepibus secus vias campestres, ad ulmorum et populorum radices haec venusta species crescit. Primum a me inventa juxta oppidulum agri Salvitellensis anno 1824; et eodem mense 1832 in viridario prope regiam villam de Porticibus (*Portici*) etiam ad truncos emortuos olearum, jove pluvio saeviente, solitariam vidi.

Obs. - *Pileus* in individuis bene evolutis, et subcaespitem efformantibus 2-3 unc. latus, in solitariis fere palmaris; umbilico patulo, laevi, castaneo; margine inordinate lobato et hinc inde fisso, semper vero incurvo. *Lamellae* subconfertae, exsuccae, liberae; majores usque ad 8 lin. latae, et in adultioribus parum inter se incumbentes; lamellulae plus minusve longae, ad pilei oras numerosae, antice convexae, postice acutae. Unaquaeque, ultima aetate, facile in duas scinditur membranulas, et ejus margo ope lentis denticulatus clare cernitur; denticuli obscuriores, inaequales. *Stipes* in pileum diffusus, 2-3 $\frac{1}{2}$ unc. longus, 3-10 lin. ad basim crassus, fibroso-lignosus, et radiculis fuscis instructus; superficie dilutiori colore tinctus, sed tactu nigrescit. *Hymenium* pulvisculo albo (sporidiis) inspersum. Caro subtenax, crocea, a larvis et limacibus valde infesta.

Non mihi adhuc constat si hic fungus sit innoxius, quamvis odore ac sapore haud dissimili aliis edulibus; nec a ruricolis, ubi illum reperi, proprio nomine distinctum, aut alicui usui usurpatum esse intellexi. Quod mihi est compertum, per aliquot tempus incorruptum servari, et

si in aqua remaneat, eandem ipso concolorem evadere; idcirco in arte infectoria eum commode adhiberi posse minime diffido (1).

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XIII. *fig.* 1. *Agar. auricolorem* sub sua caespitis forma, ac diverso evolutionis gradu haec icon indicat.

...., *fig.* 2. Idem fungus ad senectutem vergens, per apicem sectus.

...., *fig.* 3. Lamellae permagnae portio, auxilio lentis adumbrata, cujus in limbo jam descripti denticuli *a, a, a.* conspiciuntur; et superius frustulum membranulae fructificantis *b.* (hymenii) ab ejusdem lamellae superficie sejunctum, etiam cernitur.

(1) De hac tingendi facultate plenius agitur in opere Francisci BRIGANTI, sub titulo: *Piante tintorie del regno di Napoli. - Nap. 1842*, pag. 1, num. 12, et pag. 41, not. 4.

INDEX

FUNGORUM, QUI IN PRIMO HOC SPECIMINE CONTINENTUR.

VINCENTII BRIGANTI

DE

FUNGIS REGNI NEAPOLITANI

HISTORIA.

Specimen Secundum.

SPECIERUM DESCRIPTIONES.

NUM. I.

AGARICUS CLAVUS, LINN.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. IX. *Collybia*, Fr.)

AGAR: pileo subcarnoso obtuso argillaceo; lamellis adnexis albis; stipite fistuloso radicato glabro flavescente. - Ex FR.

Fungus pileo crocei splendoris participe. VAILL. Bot. Paris. tab. 11, fig. 16-18? - *Agar. Clavus*, LINN. Spec. plant. pag. 1644 (excl. synon. *Fungus minimus, aurantius, mammillaris*. VAILL. loc. cit. pag. 76, tab. 11, fig. 19 et 20).- Ejusd. Flor. suec. num. 1212.- SCHAEFF. Fung. tom. IV, pag. 26, tab. 59.- PET. Inst. bot. pag. 2119.- PERS. Champ. com. pag. 214.- Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 150. - *Agar. esculentus*, WULF. in JACQ. Miscell. vol. II, pag. 103, tab. 14, fig. 4.- PET. loc. cit. pag. 2118 (non distincta species).- PERS. Syn. fung. pag. 388. - FR. Obs. II, pag. 134.- Ejusd. Syst. myc. vol. I, pag. 131 (excl. synon. *Agar. perpendicularis*, BULL. Champ. pag. 469, tab. 422, fig. 2, qui, monente ipso PERSOONIO in loc. cit. Myc. » ab antecedente quoad descriptionem omnino discrepat »).

In pascuis Lucaniae, et Apuliae brumali tempore abunde crescit; necnon prope Neapolim in locis cultis interdum invenitur, autumno.

OBS. - Fungillus caulescens, solitarius, odore grato ac sapore amarulo est praeditus. In Austria pro usu culinari copiose legitur, sicut cl. WULFEN, PERSOON et FRIES in allatis

eorum operibus scripsere. Nostrates vulgari dictione *fungitiello de pascone* hanc speciem distinguunt, sed tanquam inutilem rejiciunt. - *Pileus* carnoso-membranaceus, tenax; in evolutis planiusculus, e sordido flavo-argillaceus, disco saepe fuscescens, parum striatus, 6 lin. aut plus minusve latus. *Lamellae* inaequales, integerrimae, subconfertae, latae, postice obtusiusculae, stipiti laxe adhaerentes, primo albidae, demum ochroleucae. *Stipes* leviter fistulosus, superne pallescens, inferne fuscus, 1 - 2 $\frac{1}{2}$ unc. fere longus, et vix 1 - 1 $\frac{1}{4}$ lin. crassus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. V, *fig.* 4. Lit. *a*, *b*, *c*, *d*, *e*. plures varietates hujusce fungilli, pro diversa aetate, loco natali ac maturitatis gradu, exhibent.

...., *fig.* 5. Unus ex iisdem per apicem sectus.

... , *fig.* 6. Alter bene evolutus, et quoad faciem inferiorem visus.

NUM. II.

AGARICUS PALMARUM, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. IX. *Collybia*, Fr.)

Agar: minimus spadiceus; pileo subcarnoso primum convexo, dein plano obtuse umbonato, centro obscuriore; lamellis exsuccis liberis integris ac dimidiatis alternis; stipite longiusculo tenui hinc inde cicatrisato.

Reperitur in fibroso textu, qui in squamis emarcidis ad foliorum basim *Phoenicis dactyliferae* exstantibus observatur.

Obs. - *Pileus* siccus, laevis, fere 5 lin. latus; margine ut plurimum repando. *Lamellae* integerrimae, ventricosae, postice acuminatae. *Stipes* vix sursum attenuatus, obsolete fistulosus, 6-11 lin. longus, et in crassitie lineam adaequat.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XIV. Istaec tabula praeter quam nostrum Agaricum (*fig. 1*) naturali magnitudine, variis aetatibus in textu fibroso squamarum putrescentium arboris praebet; verum etiam unum (*fig. 2*) ex parte hymenii, alterum (*fig. 3 a*, et *b*) longitudinaliter dissectum, et sub lente delineatum, ut lamellarum ac stipitis structura appareat.

NUM. III.

AGARICUS RHIZOPHILUS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. IX. *Collybia*, Fr.)

Agar: gregarius parvus spadiceo-lutescens; pileo carnoso-membranaceo e convexo-plano glabro, subinde rarius centro depresso, aut obsolete umbonato; lamellis liberis subdistantibus convexiusculis; stipite tenui aequali longiusculo tortuoso.

Amat sylvulas, et medio autumno cum nostro *Agarico phoeniceo*, ad emortuas et humo dejectas radices constanter provenit. Unde haec pulchella species nomen a re traxit.

Obs. - *Pileus* subrotundus, siccus, 5-6 lin. latus; margine irregulari plerumque inflexo. *Lamellae* inaequales, exsuccae. *Stipes* nudus, teres firmus, 7 lin. ad unc. 1 longus, et filo paullo major crassus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XV, *fig.* 3. Quatuor fungi descriptae speciei naturali magnitudine, et vario situ, in frustulo semiputrido radiculae *Sambuci nigrae* insidentes.

...., *fig.* 4. Individua adhuc immatura.

...., *fig.* 5. Individuum perfecte evolutum, per verticem sectum, ac simplici lente observatum.

NUM. IV.

AGARICUS VERSATILIS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. IX. *Collybia*, Fr.)

Agar: subgregarius parvus; pileo membranaceo fuscescente primum subconico parum striato, apice obtuso laevi castaneo, dein plano, margine glabro dilutiore; lamellis albidis raris inaequalibus; stipite longissimo filiformi, deorsum crassiusculo.

Ad terram, in agrorum limitibus circa Salernum, inter folia semiputrida novembris mense repertus.

Obs. - *Pileus* siccus vel humidulus, praecipue vero e loci ac temporis conditione, fere ½ unc. latus. *Lamellae* distantes, lanceolatae; integrae alternatim cum minoribus, et usque ad stipitem perductae. *Stipes* teres, fulvus, attenuatus, 1 ½ unc. longus, et vix 1 lin. crassus; ejus basis ut plurimum cava, ad lentem, molli villo caerulei coloris obsita. Propter pilei mobilitatem in stipitis vertice, *Agar. versatilis* est dictus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XX, *fig.* 5. Frustula ramorum ac folia emarcida, in quibus fungi plures descriptae speciei nativa statura, et diversa aetate insident.

...., *fig.* 6. Individuum bene evolutum, et per longum sectum.

NUM. V.

AGARICUS PLANIPES, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. IX. *Collybia*, Fr.)

Agar: parvus caespitosus; pileo orbiculari convexo-plano spadiceo, margine crenulato dilutiore; lamellis liberis convexis albidis; stipite compresso leviter striato pileo concolore, ad basim fusco et parum incurvo.

In sylvis praesertim frondosis, inter muscos cum nostro *Agar. Bullula* vivit.

Obs. - *Pileus* 4-6 lin. latus, medio fere semper convexus, et ad marginem parum incurvus; in tempestate humida viscosus evadit. *Lamellae* inaequales, latiusculae; dimidiatae vero inter duas alias majores non raro observantur. *Stipes* fistulosus, radicatus, 1 unc. longus, 1 ½ lin. crassus, et quo caespites congeruntur, fit valde fuscus ac durior.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XVI, *fig. 3.* Pars caespitis *Agar. planipedis* in sua diversa magnitudine, et situ.

...., *fig. 4.* Unus ejusdem agarici seorsim, et per verticem dissectus.

NUM. VI.

AGARICUS EPIPTERYGIUS, Scop.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. X. *Mycena*, Fr.)

Agar: subgregarius et non raro caespitosus; pileo campanulato membranaceo obtuso laevi, aut ruguloso subviscoso caesio-cinereo; lamellis distantibus uncinatis ut plurimum albicantibus; stipite flavo glutinoso.

Agar. epipterygius. Scop. Flor. carn. pag. 455. - Pers. Disp. meth. fung. pag. 25. - Ejusd. Syn. fung. pag. 382. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 263. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 155. - *Agar. plicatus* (non *flavipes*) Schaeff. Fung.

tom. IV, pag. 15, tab. 31 (juxta erroneam auctoritatem Pers. in Myc. et Fr. in Syst. loc. cit.) - *Agar. nutans*, Sowerb. Fung. tab. 92 (mera hujus speciei varietas videtur).

Provenit oct. - nov., post copiosas pluvias, ad truncos ramosque emarcidos in sylvaticis circa Neapolim.

Obs. - Caulescente figura semper haec pulchella species se offert. *Pileus* ab initio conicus, stipitem margine dentato arcte cingit, postea subhemisphaericus, dentibus evanescentibus, superficie sulcata; et, monente cl. Friesio, » membrana viscosâ in humidis secernibili tectus! » $\frac{1}{2}$ - 1 unc. latus. *Lamellae* adnatae, inaequales, in triplicem ordinem dispositae; latiores vix 1 $\frac{3}{4}$ lin. aequant. *Stipes* teres, fistulosus, 2 $\frac{1}{2}$ - 4 unc. longus, ultra lin. 1 crassus, basi tenuissimis fibrillis ornatus. Color tam pilei quam lamellarum perbelle variat, nunc albus, nunc cinereus, quandoque caesius, flavus, subcarneus, rufus. Odor debilis, funginus; sapor mucosus. Caret nomine apud plebem; inanis.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XVII, *fig. 1*. Complures fungi diversae magnitudinis, formae ac aetatis, a frustulo ligni semiputridi exorti.

...., *fig. 2*. Fungus perfecte evolutus, et seorsum pictus, quoad coloris rufi varietatem.

...., *fig. 3*. Individuum pariter maturum, per verticem sectum.

*

NUM. VII.

AGARICUS LEUCOSTIGMA, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. X. *Mycena*, Fr.)

Agar: fere gregarius minutus albo-gelatinosus; pileolo initio orbiculari, postea convexo-umbonato; lamellis confertis; stipite longo tereti, ab apice ad basim sensim nigrescente.

Ineunte novembre, post imbres, super folia aliasque vegetabilium partes dejectas occurrit. Nomen a λευκός et στίγμα derivatum, quia pileolus evolutus stigma candidum non raro refert.

Obs. - Fungi juniores erecti, et ex mucoris filamentis ortum trahunt. *Pileolus* primo subflavus, dein albus, vix 1 $\frac{1}{4}$ lin. latus; margine parum reflexo, ac obsolete striato. *Lamellae* aequales, subexsuccae, postice acutae. *Stipes* 1 unc. fere longus, et setae magnitudine crassus. - Species *Agarico capillari* Schum., s. *aciculari* Hoffm. (non *aciculae* Schaeff.) quodammodo affinis, a quo tamen differt, pileo non campanulato, depresso vel umbilicato, hymenii structura, lamellarum numero etc. Remotam analogiam cum *Agar. epiphyllo* Pers. (Syn. fung. pag. 468) etiam ostendit, ob identicum colorem, et vegetationis locum.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XVIII, *fig.* 1. Tres parvuli fungi allatae speciei sub nativa statura, et vario explicationis statu.

.... , *fig.* 2. Unus ex iisdem per longum dissectus, et vitro auctus.

NUM. VIII.

AGARICUS BULLULA, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. X. *Mycena*, Fr.)

Agar: sparsus minimus totus candidus; pileolo membranaceo hemisphaerico diaphano, lamellis raris arcuato-decurrentibus; stipite prae aliis longissimo valde tenui filiformi nudo.

Novembris initio ad folia putrescentia *Scabiosae columbariae* et *Pteridis aquilinae*, in umbrosis roridis circa Neapolim (*S. Maria de' Monti, Camaldoli, Valle di S. Rocco*) praesertim legitur.

Obs. - *Pileolus* laevis, 1-2 lin. latus, cujus margo, crystallina lente auctus, crenulatus videtur. *Lamellae* distinctae, crassiusculae, uncinatae, et a stipitis apice expanso originem ducunt. *Stipes* fistulosus, radicatus, sursum incurvus, $\frac{1}{2}$ unc. longus, fere crinis magnitudine crassus, et ex mucoris substantia pellucida, alba, compacta surgit.

Hic fungillus valde est vitae fugax, dum colligitur statim flaccescit; unde mira ejus structura in natali loco est observanda. Cum *Agar. corticola* Pers. (var. b. *albido*) lamellarum dispositione ac figura convenit; sed ob constantem pilei formam, stipitis longitudinem, et colorem immutabilem plane distinctus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XVI, *fig. 1*. Plures fungilli sub vario eorum evolutionis gradu, et inter plantarum folia decidua ac semimarcida sparsi.

...., *fig. 2*. Unus ex iisdem sejunctus, magnitudine auctus, et ab inferna pilei parte visus, ut lamellarum numerus, situs, ac figura conspiciantur.

NUM. IX.

AGARICUS PHOENICEUS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. X. *Mycena*, Fr.)

Agar: minutus sparsus; pileo submembranaceo conico coccineo, margine flavo irregulari obsolete striato; lamellis adscendentibus utrinque attenuatis pallidis; stipite tenui radicato, apicem versus prima aetate croceo, dein flavescente, ad basim vero semper atro-viridi.

Post pluvias autumnales in Stabiarum sylvis, prope Cappucinorum coenobium, inter muscos primum repertus.

Obs. - *Pileus* obtusus, subviscosus, 3 lin. latus et 2 altus. *Lamellae* liberae, inaequales; majores alternatim a minoribus variae longitudinis distinctae. *Stipes* teres, diaphanus, 8 lin. longus, et setae crassitiei aequalis.

Hic fungus ob colorem nitidum, et laete coccineum in sui admirationem rapit; sed ejus substantia tenera ac succosa levi pressione frangitur et dissolvitur, ejusque vividus color vertitur tandem in luteum sordidum.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XV, *fig. 1*. Duo fungi; *a*. unus perfecte evolutus; *b*. alter explicari incipiens.

...., *fig. 2*. Primus ex iisdem vitro auctus, et ad perpendiculum dissectus.

NUM. X.

AGARICUS CYATHIFORMIS, Bull.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. XI. *Omphalia*, Fr.)

Agar : solitarius parvus; pileo carnoso-membranaceo infundibuliformi subobliquo glabro nigrescente-umbrino, margine reflexo; lamellis adnatis confertis angustis albidis; stipite tortuoso tereti elastico, versus basim incrassato ac fere bulboso; annulo nullo.

Fungus foliaceus, vel lamellatus, infundibuli forma, fusco-lividus, Waill. Bot. paris. pag. 73, tab. 14, fig. 1-3 (adultus, an species distincta ?) - *Agar.*

concavus, Scop. Flor. carn. pag. 449. - *Agar. sordidus*, Dicks. Crypt. britan. vol. I, pag. 16, tab. 3, fig. 1. - *Agar. cyathiformis*, Bull. Champ. tab. 248, fig. C. (et tab. 568, fig. 1, R, S, T. hujusce speciei nonnihil affinis; sed stipite gracili ac fistuloso, colore lamellarum sordide griseo, aliisque notis differt. Icones tandem M, N. tab. 575, uti synonyma a mycologis etiam allatae, ad fungum omnino diversum pertinent.) - De Cand. Flor. fr. vol. II, pag. 170. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 173. - *Agar. tardus*, Pers. Syn. fung. pag. 461. - Ejusd. (var. * *cinereus*) Myc. europ sect. III, part. I, pag. 81.

Octobris mense hunc fungum, forma gratum ac constantem, inter filices juxta praediorum sepes prope Martis Campum Neapoli inveni; sed non ita obvius, ut refert Friesius in cit. opere.

Obs. - *Pileus* $\frac{1}{2}$ - 1 unc. latus; margine rotundo, crasso, et versus stipitem reflexo. Idem pileus ad lentem visus, minutissimis punctis elevatis obductus apparet, et in tempestate humida viscosus evadit. *Lamellae* distinctae, integrae a minoribus alternatae; sed ob pilei formam spurie decurrentes. *Stipes* longus, solidus, parum striatus, ac tenui villo albo longitudinaliter intertexto obsitus; 2 unc. est longus, basi fere 4 lin. crassus, et ex mucore byssoideo ortum ducit. Caro tenax, aquosa, haud esculenta.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XVIII, *fig.* 3. *Agaricus cyathiformis* sua naturali magnitudine, et in perfecto evolutionis statu.

...., *fig.* 4. Idem per longum sectus.

NUM. XI.

AGARICUS FRAGRANS, Sowerb.

(Ser. I. - *Leucosporus*. - Trib. XI. *Omphalia*, Fr.)

Agar : subgregarius parvulus pallescens; pileo humidulo convexo, dein depresso; lamellis subdecurrentibus angustis; stipite longiusculo aequali. - Ex Pers.

Agar. fragrans, Pers. Syn. fung. pag. 455. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 107, tab. 27, fig. 5. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 171. - Sowerb. Fung. tab. 10. - Wither. Bot. arrang. IV, pag. 161. - Swart. Obs. bot. (1808) pag. 245. - *Agar. gratus*, Schum. Saell. pag. 277.

In umbrosis inter muscos terrestres prope civitatem Nuceriae (*Nocera de' Pagani*), et in pascuis ruribus Campaniae (*Gaeta*, *Fondi*) autumno rarius invenitur. Anonymus apud villicos, nec in cibariis receptus.

Obs. - *Pileus* 1-2 unc. latus, subflaccidus, non raro margine obsolete striatus, et in junioribus parum involutus. Ejus color quoad aetatem et loca variat, pallidus, lividus, lutescens, fuscescens etc. *Lamellae* adnatae, integerrimae, subconfertae, postice obtusiusculae, vix 1 lin. latae. *Stipes* spongioso-farctus, demum cavus, elasticus, 1 ½ - unc. longus, et 2-3 lin. crassus; basi leviter reflexus, ac interdum radiculis aut villis ornatus. Sapor nullus; odor ad *Anisum* vel *Anthoxanthum* vergit, et juxta Witheringii notam, ad *Crataegi* flores; qua de re haec pulchella species facile dignoscitur.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XIX, *fig.* 1. Fungus junior, quoad faciem inferiorem visus.
...., *fig.* 2. Fungus perfectus, simillime delineatus.
...., *fig.* 3. Individuum circa stipitis basim transverse sectum, ut ejus crassities ac interna substantia pateant.
...., *fig.* 4. Individuum per verticem divisum, in quo lamellarum figura et dispositio, centrale stipitis cavum, carnis contextum etc. observantur.

NUM. XII.

AGARICUS CYNOTIS, Pers.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. XII. *Pleurotus*, Fr.)

Agar: dimidiatus imbricato-caespitosus sessilis; pileo (adulto) glabro subviscoso rufo-brunneo; lamellis inaequalibus densis lutescentibus, basi subcrispis. - Ex Pers.

Agar. lateralis, Flor. Dan. tab. 1556, fig. 2 (junior). - *Agar. subsessilis*, Ejusd. tab. 1552, fig. 1 (evolutus). - Schum. Saell. pag. 364. - *Agar. algidus*, Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 190. - *Agar. cynotis*, Pers. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 19, tab. 23, fig. 5, a - d.

In Lucaniae et Calabriae nemoribus humentibus (*Persano*, *Londrano*, *Parabita*, *Aspromonte*).

Obs. - » Autumno » ita ex perillustribus mycologis ipsemet Persoonius in opere supra citato, cujus investiga-

tiones apprime ad nostras posteriores quadrant » in trunco » lignescente (*Betulae albae* vel *Carpini orientalis*) inveni » plura hujus speciei individua, 12-15, caespitem effor- » mantia, basi materie farinoso-fibrillosa unita. Juveniles » subiculo albo-farinaceo insidebant, etiam toti albidi et » pariter farinosi erant, primo subspathulati, dein sensim » dilatantur, margine adhuc involuto; adulti (subrenifor- » mes, fere 1 ½ unc. lati) glabri, ac viscositate lenta obte- » cti. *Lamellae* (lanceolatae, apice vix recurvae: lamellulae » numerosissimae, angustiores) venis in nonnullis connexae. » Substantia coriaceo-carnosa, sed tenuis. Sapor valde in- » gratus, sed non stipticus ».

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XX, *fig.* 1. Frustulum ligni betulini semipudritum, et limo inquinatum, in cujus superficie plures funguli insident; *a.* subiculum albo-farinaceum; *b, b.* rudimenta vegetationis; *c, c.* funguli adhuc imperfecti; *d, d, d.* iidem adulti et maturitati proximi.

...., *fig.* 2. Individuum perfecte evolutum, ab hymenii parte visum.

...., *fig.* 3. Individuum in latere sectum, ut lamellarum forma melius conspiceretur.

...., *fig.* 4. Lamellae a facie anteriori sub lente crystallina observatae, ut earum nexus clare oculis exhibeatur.

*

INDEX

FUNGORUM, QUI IN SECUNDO HOC SPECIMINE CONTINENTUR.

VINCENTII BRIGANTI

DE

FUNGIS REGNI NEAPOLITANI

HISTORIA.

Specimen Tertium.

SPECIERUM DESCRIPTIONES.

NUM. I.

AGARICUS MELLEUS, VAHL.

Var. *a*, Agar. Vitis, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. III. *Armillaria*, Fr.)

AGAR : dense caespitosus; pileo carnoso-membranaceo obtuse umbonato glabro, initio flavo demum lutescente, margine laevi; lamellis subconfertis adnatis dente-decurrentibus albidis ac postea dilute carneis; stipite perlongo fibrilloso, apice parum incurvo, basi subincrassato; annulo patulo tumido lamellis concoloribus.

Agar. suaveolens, BRIG. (non SCHUM. et FR.) Fasc. I.° di fung. litogr. Nap. 1824, tav. 4. - Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Rapp. del Segret. cav. MONTICELLI) Nap. 1827, pag. 40.

Neapoli, et alibi nascitur desuper caudices ac radices *Vitis viniferae* post pluvias, mense octobri et novembri.

OBS. - *Pileus* 2-5 unc. latus; junior glandiformis, mox late campanulatus, et praesertim vertice squamulis pilosis obsitus; adultus explanato-umbonatus, margine flexuoso, plerumque fisso, ac superficie a limacibus corrosa. *Lamellae* tenues, integrae a dimidiatis distinctae: lamellulae inaequales, postice rotundatae. *Stipes* teres, 2 $\frac{1}{2}$ - 3 unc. et ultra longus,

3-6 lin. fere crassus, sed sensim a basi ad apicem attenuatus, spongiosus, obsolete striatus, non raro difformis, et aqua imbutus colore fusco tingitur. Pilei fungorum inferiorum cujusque caespitis saepius polline albo (sporidiis copiosis) irrorati inspiciuntur, ab incumbentium hymenio emisso.

Nostra insignis varietas cum *Agar. melleo,* VAHL. (Flor. Dan. tab. 1013) unice confundenda; sed a collatione utriusque fungi characterum statim distinguitur. - Conf. etiam FR. Syst. myc. vol. I, pag. 30, et VITTAD. *Descriz. dei fung. mang.* pag. 16, tab. III.

HIST. et USUS. - Hic fungus odorem gratum ac valde persistentem spirat, nec gustui quoque displicet: raro scatet voracibus larvis, aut putrem contrahit; at potius post aliquam temporis moram contabescit, unde nostrates illum optime soli exsiccant, ut diversis anni temporibus sub variis ferculis degustare possint. Ruricolae vernaculo nomine *fungio di vite* vel *fungio sementino buono* eum designant, et autumnali tempore passim venalem exponunt.

Ex Sacris Chartis etiam habetur a *Vite agresti* vel *sylvestri* enasci fungos ex ejusdem Agarici genere, juxta vero interpretationem KIMCHII, et eos esse minime *Colocynthidis* fructus, ut alii scribunt; quibus gustatis velut a pestifero cibo abhorrebant Prophetarum filii, exclamantes: *Mors est in olla, vir Dei,* uti legitur apud Matth. HILLERUM in cap. XXXIX (*de fungis*) partis alterius sui eruditi operis, cui titulus: *Hierophyticon* (1), ubi recenset varias hebraici no-

(1) Sive Commentarius in loca Scripturae Sacrae, quae plantarum faciunt mentionem. Trajecti ad Rhenum, 1725, pag. 218 et sequ.

minis *Pekuhoth* interpretationes, qui laudati Kimchii sententiae adhaeres, potius victus vi expositionis textus, et scriptoris auctoritate, quam ex aliqua sua experientia.

Mihi tamen datum hucusque non est, fungos in hac vite agresti invenire, adeoque decernere, utrum sint noxii, et tam palato ingrati, prout Sacri Textus verba significare videntur: hinc nihil de Kimchiana opinione proferre audeo. Quod si posterioribus curis fortuna arrideat, idem argumentum resumere non praetermittam.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXI, *fig.* 1. *Agaricus Vitis* sub caespitis forma, et fere nativa mole depictus, ubi sua specimina omnes ejus evolutionis status ostendunt.

...., *fig.* 2. Pars fungi perpendiculariter secta ab individuo juniore, ut *a.* hymenii, *b.* veli, ac *c.* stipitis structura appareat.

...., *fig.* 3. Eadem pars ab individuo perfecte maturo similiter scissa.

NUM. II.

AGARICUS NEMOREUS, Pers.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

Agar: magnus solitarius; pileo late umbonato fulvo-rubescente; lamellis decurrentibus albis subdistantibus; stipite longissimo solido, basi lanato. - Ex Pers.

Agar. nemoreus, Pers. Syn. fung. pag. 305. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 99, tab. 28, fig. 1 et 2. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 99.

In sylvaticis Alburni (*montagna di Sicignano o della Petina*) sub tegmine fagorum, quercuum aliarumque, vix quatuor individua, novembris mense ann. 1823, inter folia decidua inveni.

Obs. - *Pileus* 3 - 4 unc. latus, carnosus; junior margine parum inflexo. *Lamellae* 2-3 lin. latae, fere aequales, longe decurrunt, immutabiles, utrinque acutae, falcatae. *Stipes* subcylindraceus, firmus, 3-4 unc. longus et ½ crassus, pallescens. Caro compacta, odoris ac saporis grati. Esculentus, sed ejus vernaculum nomen deficit.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXII, *fig.* 1. Fungus nondum evolutus, fere ab hymenii parte ostensus.

...., *fig.* 2. Idem fungus aetatis adultioris, a latere visus.

...., *fig.* 3. Individuum perfecte maturum, pariter delineatum.

...., *fig.* 4. Portio agarici per verticem pilei resecta, ut ad lamellarum formam et naturalem distributionem, necnon contextum carnosum stipitis aspiciendum satis inservire possit.

NUM. III.

AGARICUS COFFEAE, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

Agar: submagnus albus caespitosus vel raro gregarius; pileo carnoso primum plano-depresso, limbo tumidulo et incurvo, postea auriculaeformi, denique late expanso adinstar infundibuli, margine irregulari ac varie lobato; lamellis longe decurrentibus (praesertim in junioribus) confertis inaequalibus oblongo-lanceolatis; stipite subcentrali brevi solido profunde radicato.

Agar. neapolitanus, Pers. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 73 (characteres e speciminibus exsiccatis desumpti (1). - *Agar. phyllophilus? parad.* Fr. Ind. alphab. in Syst. myc. ejusq. suppl. pag. 31, col. 2 (hoc synonymon omnino delendum est).

Provenit ex Coffeae potus faece, nempe in sedimento pulveris fabarum tostarum, quod vulgo *posa del caffè* dicere moris est.

Obs. - Non parum circa formam pilei hujusce agarici natura ludit: in caespitibus laete vigentibus semper adinstar

---

(1) Professor Michaël Tenore per litteras gallico sermone exaratas haec ipsa specimina ann. 1828 illi communicavit: id fecit, ut perillustris botanicus rei novitate etiam concitus, nostram elegantem speciem in supra cit. suo opere, quantum vero partes emortuas aspicere licuerat, statim describeret, et Parthenopejo nomine dignam designare crederet.

infundibuli, nunc integer, nunc obliquus aut dimidiatus, et quandoque petaliformis: margo primo involutus, lobato-sinuatus, dein parum inflexus aut erectus, plicato-undulatus, et senio etiam fissus; a medio ad oras lineis obsoletis cinerascentibus aspersus, et in centro substantia muciformi nivea obsitus. In speciminibus vero languidis *pileus* orbicularis est, convexiusculus aut paullo umbilicatus, et saepe etiam deformis. *Lamellae* vix arcuatae, ad marginem valde tenues ac diaphanae, hinc interdum lacerae, postice acutissimae, integrae: lamellulae numerosae, angustiores, plus minusve longae. *Stipes* supra dilatatus atque in pileum diffusus, teres, incurvus; basim versus parum attenuatus, et brevi tomento candido obductus. *Radix* mucosa, sed intus fibrata, solida, caulescens, crassa, tortuosa, complanata, et non raro subdivisa. Color juniorum cinereo-pallens in album aetate transit.

Maxime hic fungus in suis partibus quoad magnitudinem etiam variat: in specimine supra descripto *pileus* 3 ½ unc. latus, et a centro infundibuli ad marginem, in sua parte longiori, fere 2 ½ unc. profundus. *Lamellae* medio vix 2 lin. latae. *Stipes* usque ad 1 ½ unc. longus, sursum versus 8 lin. crassus, et prope radicem 5 ½. *Radix* 2 unc. et ultra longa, 5 lin. crassa.

Tandem habitus individuorum, quamvis accidentalis ac mutabilis sit, raro autem monstrosus. Semel mihi occurrit elegantissimus caespes, veluti *Clavaria botrytis* PERSOONII: totus albus, vix 8 lin. altus et 13 latus; caule erecto crasso glabro superne ramosissimo, ramulis obesis subrotundis valde confertis, apicibus capitulo dilute griseo

instructis. Prima aetate e fibrillis albidis, tomentum effusum tenue super eodem sedimento pulveris Coffeae efficientibus, emergunt globuli hinc et illinc dense coacervati, qui post evolutionem receptaculi clavaeformis in pileolos abeunt, quod distinctius patescit ab uno intuitu per vitream lentem. - » Pileus passim obliteratus (de hac morphosis specie ita dis» seruit Fries), nunc resupinatus..., nunc in ramos sursum » plerumque dilatatos abiens, qui nisus praecipue inter » genera ad fungos clavatos accedentia observatur. Utraque » haec aberratio in formam genuinam facile transit, saepe » ex aetate et loco solum pendens (1) ». Insigne exemplum nobis praebet *Agar. lepideus*, qui totus ramosus, absque pileo interdum crescere solet! Unde modo sub Clavaria, modo sub Ramaria, vel sub Helvella aliquot egregii mycologi eum perperam collocavere (2).

Affin. - » Fungo ramoso, maximo, pileolo desuper griseo, inferne lamellis, et lanuginoso pediculo albis.... » Mich. externa facie quodammodo similis (3). Distinguitur loco natali, figura, magnitudine; atque praesertim ab eo discrepat, quia est caespitosus, et minime, in statu normali, stipite ramoso ac pileo desuper griseo gaudet.

Hist. - Nemo, quantum sciam, de hac specie mentio-

---

(1) Syst. myc. vol. I, pag. 3. Ordo I. *Pileati*, et pag. 461. Ordo II. *Clavati*. Stat. aberr. et Affinit.

(2) Conf. id. op. Fr. vol. I, pag. 176, num. 8.

(3) Nov. plant. gen. pag. 190, tab. 79, fig. 1.

nem fecit; etiam apud Pesoonium in suo opere superioribus temporibus edito, in quo de fungis edulibus praecipue pertractat, altum silentium (1). In nostro Diario publico solum paucis retro annis legimus, quod in quadam Italiae urbe, quae memoria abiit, potus Coffeae venditor cum ab ejusdem faece, in loco prope suam popinam ejecta, nonnullos fungos exurgere vidisset, qui innoxios postea, et immo ad esui usum praestantes reperit, ita uti mirum ac novum statim per ephemerides non inconsulto pervulgare fecit. Primae apud nos in hoc experiundo sollicitae moniales S. Potiti fuere, et ob earum industriam res voto cessit: nam ex dicta rejectanea materie in vasis fictilibus contenta, identidem humore irrigata, et loco udo reposita, eosdem fungos, etiam a noxiis immunes, non una sed plures vices habuere, quocirca et hodie in eadem cura summo studio manent.

Noster sodalis Aloysius Petagna, naturalium scientiarum benemeritus ac promotor, idibus superioris Augusti 1824 duos caespites hujus fungi adhuc laete virentes in testa, ab iisdem monialibus habita, et dicto Coffeae retri-

(1) *Traité sur les champ. comest. Paris 1818.* Neque inferiori aevo in aliis chartis, Mycologiam oeconomicam disserentibus, haec ipsa species ex esculentis et utilibus invenitur. Recentiores, nempe Cordier *(1826. Guide de l'amat. de champ.)*, Roques *(1832. Hist. des champ. comest. et vénén.)*, Vittadini *(1835. Descriz. dei fung. mang.)*, et Venturi *(1842. Studi micol.)*, quorum pulchra volumina diligenter perlustravi, etiam de ea silent. Tantum Neapoli, ann. 1827 evulgatum fuit minutum opusculum sub titulo: *Memoria sulla produzione, e coltura di un fungo particolare prodotto dal Caffè;* ubi auctor B. G. (Blasius Gareri) cum rei herbariae expers, inconcinniter aliquot characteres hujusce agarici adumbrat.

mento repleta, mihi humanissime largitus est; a quibus jam expositam narrationem concinnavi, et sollicite etiam sategi, ut icones in quatuor tabulas ex naturalibus archetypis, non certe ab imperita manu delineatae, nec non ectypae imagines cera effictae ducerentur: quae omnia jam sub vestros oculos veniunt, ut satius suppleant ista, si aliquid in nostra oratione defuisset.

Eorum ortus non longe distat, si a veritate non abhorreo, et

......quantum nostra lumina possunt
Tendere........................,

ab illo *Polypori Tuberastri* ex lapide fungifero, perperam ita dicto, cum sit humus compacta, et valde cohaerens, uti autumarunt Comes DE BORCH, JACQUIN filius, aliique (1);

---

(1) *Lettr. sur les truff. de Piémont. Milan 1780, pag. 41.* - Collect. Suppl. pag. 160, tab. 8, 9.- Juxta porro MICHELII opinionem (op. nuper cit. pag. 131, tab. 71, fig. 1), ac praesertim MARSILII conjecturam, » lapis lyncurius seu fungiferus est » radix (en ejus verba) aut resectus a matrice plexus radicum cretae vel glebae » commissus et inhaerens, unde latentia fungulorum primordia tepida irrigatione, » et superadditae terrae fotu vitae pene reddita vegetando per intervalla explicen» tur, donec effoetae pereant, vel consenescentes cum ipsa substantiae qua ope» riuntur compage, quod usu fere venit post annum, in tofi speciem concrescant? » - Fung. Carrar. hist. Patav. 1766, pag. 37.

Praesenti vero aetate prof. Gul. GASPARRINUS hac super re nostrorum majorum opinionem, Ferd. IMPERATI nimirum et Marc. Aur. SEVERINI, revocando sempiternaeque gloriae commendando, post repetitas sub microscopio observationes, peculiare hujus lapidis inter Lycoperdineorum (rectius Tuberacearum) familiam constituit genus, graeco nomine *Mycelithe*, cujus unicam speciem *fungiferam* quoque nuncupavit. - *Ricerche sulla natura della pietra fungaja, e sul fungo vi so-*

nam illa materia a nonnullis *mycelium* vel *carcytes* nuncupata, et sicut fungorum matrix habita, qua intus ipse lapis praeditus est, post aliquod tempus in Coffeae faece etiam sparsa videtur, dummodo eadem aqua sit irrorata, et loco humido servetur. Primo enim uti substantia alba et byssoidea apparet, ac postea in mucoris acervum compacta transit, a qua demum permulti fungilli, mole ac forma tot aciculis similes, enascuntur. Eorum evolutio est celeris; fere enim in dies quinque totum suum incrementum adipiscuntur, quo tempore recidendi sunt, si eos edere libuerit, sed varie exsucci ac duri evadunt.

Cult. - Inter fungos, qui arte comparare quaeruntur, merito est noster agaricus eligendus, cujus cultura cum sit valde facilis ac expedita, et cum proveniat a substantia, quae haud male olet, unde etiam domi asservari potest, magis cordi debet esse iis, qui in deliciis pro esu hoc plantae genus habent. Ea sola industria, quam supra innuimus, fere in omnibus anni vicibus, maxime adveniente Autumno horum fungorum magna vis habetur; dummodo in hibernis frigoribus ac gelicidiis, et aestivis solibus vasa fungaria detrahantur, atque assidue irriguo humore immaduerint. Haec, quamvis parva, circa ejus

---

prannasce. Nap. 1841. Quae cum ita sint, hypothesim non prorsus ineptam aut nimis audacem videri posse arbitror, hanc Polypori speciem, pro loco natali, ortu, ac vegetandi modo, analogiam habere cum *Agarico (Lentino) tubere regio*, qui etiam a matrice, Sclerodermatis Pers., vel potius Elaphomycis Nees. indole, surgere solet. - Conf. Rumph. Herb. amboin. cur. et stud. Joann. Burmanni, pars VI, pag. 120, tab. 57, fig. 4, et Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 174.

culturam solertia; non parvo certe emolumento impenditur. Eorum candoris nitor minime a noxiis effectibus in oeconomia animali denigratur; nam hominis incolumitati nihil officiunt, et tuto comedi possunt.

Usus. - Dum isti fungi virent, et proprio caespite adhuc insidentes, semina cruda Coffeae intense redolent; cum postea odorem fungorum edulium manant. Ipsi gaudent substantia alba ac tenera, mollique cuticula tecta: etiam post dies, nec putridi, aut a verminibus corrosi observantur; quoniam et neglecti suapte natura sicci evadunt, quo modo pro cibo asservari possunt; cum enim in aqua tepida effundantur, iterum reviviscunt. More aliorum excocti sunt sapidi, et digestionis facillimae; uti non pauci jamdiu experti sunt, quos vel ego ipse ingessi, et grato sapore praeditos, ceterisque delicatiores sensi: unde inter illos, qui salubritate excellunt, merito sunt reponendi, et ex iisdem dapes optimae haberi queunt, quibus praestantiores mensae continue superbiunt.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXIII. Duo caespites descripti agarici, ab unica matrice enascentes; quorum unum *a.* fere in primo evolutionis gradu, et alterum *b.* in adultiori aetate, haec icon nativa mole exprimit.

Tab. XXIV representat ejusdem speciei individua perfecte evoluta, figura ac magnitudine varia.

Tab. XXV, *fig.* 1. Individuum maturum per verticem divisum, ut melius distinctiusque lamellarum forma pateat.

...., *fig.* 2. Fungi radix seorsim picta, et superiori parte oblique dissecta; quo ejus corticis atque medullae substantia in conspectum veniret.

...., *fig.* 3. Parvus fungulorum caespes in actu prodeuntium ex mucoris acervo.

Tab. XXVI, *fig.* 1. Pulchra fungulorum congeries, cujus fere innumera individua, nondum explicata, undique ramulosa se praebent.

...., *fig.* 2. Granula permulta in Coffeae faecis superficie coacervatim disposita, quae monstrosae vegetationis rudimenta ostendunt.

...., *fig.* 3. Eadem subrotunda corpuscula perbelle evoluta, quo in statu *Clavariam botrytem* Pers. primo intuitu referunt; ast, lentis ope, nostrum agaricum sub typo prolifero distincte exhibent. Vid. sequ. fig.

...., *fig.* 4. *a, a.* Ramuli valde crassi, ceratiformes, albi, in quorum apicibus pileoli *b, b.* subhemisphaerici atque exsucci observantur.

NUM. IV.

AGARICUS SINUATO-UNDATUS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

Agar: mediocris sparsus; pileo subcarnoso tenui dilute badio, centrum versus obscure spadiceo, subovato aut ro-

tundo planiusculo circinatim ruguloso ac radiatim sulcato; lamellis undatis fere pileo concoloribus, margine sinuato; stipite aequali longiusculo albo.

Per Principatum Citeriorem, locis aridis sub quercubus prope Volcejum (*Buccino*), et in nemoribus (*Botte*, *Persano*, *Londrano*) rarius sero autumno crescere solet.

Obs. - *Pileus* siccus, 2-3 unc. latus, margine parum involutus. *Lamellae* subdistantes, exsuccae, plus minusve longae, postice acutae, nunc fere liberae, nunc adnatae in eadem specie; majores 4 lin. latae, minores vero 3. *Stipes* junior spongioso-farctus, demum fistulosus, exterius glaber, basi radicatus, 2 $\frac{1}{2}$ - 3 $\frac{1}{2}$ unc. longus, et 3 - 5 lin. crassus. Odor mucidus, sapor mitis; innocuus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXVII. E figuris in praesenti tabula ductis, una *Agar. sinuato-undatum* integrum, et naturali mole; altera eundem per verticem sectum offert.

NUM. V.

AGARICUS HESPERIDUM, Nob.

(Ser. II. *Hyporhodius*. - Trib. XVI. *Nolanea*, Fr.)

Agar: gregarius; pileo membranaceo fere campanulato cerino, medium versus obscuriore; lamellis confertis inte-

*

gris a dimidiatis interdistinctis, primo albis, dein cinereo-violaceis; stipite brevi tereti candido.

Ineunte majo in viridariis, post pluvias temperatas, circa citri et aurantii truncos facile occurrit.

Obs. - *Pileus* limbo incurvus, $\frac{1}{2}$ - 2 unc. latus; in junioribus fere orbiculatus. *Lamellae* planae, liberae, vix 2 lin. latae, demum marginibus atris: lamellulae inaequales, subventricosae, postice acutiusculae. *Stipes* laevis, tenuis, fistulosus, 1-2 unc. et ultra longus, 2-3 lin. crassus.

Odorem funginum prima aetate spirat, dein foetorem cadavericum, cum in putridam mucilaginem evadat; unde inter noxios hic fungus est recensendus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXVIII. Sub tribus figuris *Agar. Hesperidum* in hac tabula delineatus venit. *Fig.* 1. ac 2. ejus diversam aetatem ostendunt; 3. vero eundem per longum dissectum cum suis lamellis in propatulo repraesentat.

NUM. VI.

AGARICUS LOBATO-REPANDUS, Nob.

(Ser. III. *Cortinaria*. - Trib. XVIII. *Telamonia*, Fr.)

Agar: mediocris solitarius; pileo subcarnoso spadiceo convexiusculo dein expanso; lamellis lobato-repandis latis

umbrino-cinnamomeis; stipite longo subaequali sordide albo, ad basim fuscescente; annulo obsoleto.

Eodem in loco ac tempore *Agar. sinuato-undati* nascitur, at raro.

Obs. - Magnitudine plus minusve haec species variat. *Pileus* 1-2 $\frac{1}{2}$ unc. latus, siccus, squamosus; margine tenui ac irregulariter crenulato. *Lamellae* distinctae, inaequales, latiusculae, usque ad stipitis apicem productae. *Stipes* 2-3 unc. longus, sat firmus, 2 $\frac{1}{2}$-3 lin. crassus, intus spongiosus. *Velum* nunquam perfecte annulatum. *Sporidia* copiosa, dilute ochracea. Sapor peculiaris, odor nullus: in cibariis non receptus.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXIX. In hac tabula non solum *Agar. lobato-repandi* in sua statura et situ naturali (*fig. 1*); sed etiam resupinati (*fig. 2*), imagines comprehenduntur.

NUM. VII.

AGARICUS CINNAMOMEUS, Linn.

Var. *a*, Agar. semisanguineus, Fr.

(Ser. III. *Cortinaria* - Trib. XXI. *Dermocybe*, Fr.)

Agar: gregarius; pileo subcarnoso obtuse umbonato sericeo cinnamomeo; lamellis adfixis confertis nitidissimis sanguineo-ruberrimis; stipite tenui elongato lutescente, versus apicem sensim attenuato.

Amanita siccus, leoninus, anulo araneoso, Hall. Helv. num. 2432.-*Agar. cinnamomeus*, Linn. Flor. suec. num. 1205.-Ejusd. Spec. plant. pag. 1642.-Pers. Inst. bot. pag. 2115.-*Agar. sanguineus medius*, Albert. et Schwein. Consp. pag. 158.-Var. a. *semisanguineus*, Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 229.-Letell. Fig. des champ. tab. 618.

Ineunte hieme in sylvis caeduis Montis lactarii (*Lettere*) hanc elegantem varietatem primum inveni; sed nunquam in locis paludosis, uti refert Friesius, l. supra cit.

Obs. - *Pileus* planiusculus, 1-2 unc. latus, margine tenuis. *Lamellae* inaequales, latiusculae; majores postice rotundatae, minores acuminatae. *Stipes* fibrillosus, in junioribus farctus subbulbosus, in evolutis cavus, fere 2 ½ unc. longus, basi 2-3 lin. crassus, et radiculis ornatus. Caro dentibus contusa, leviter *Sinapis* odorem spirat. Hic fungus nomine proprio apud ruricolas caret, nec cibarius est.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXX, *fig.* 1. Individuum mediae aetatis, externe visum.

...., *fig.* 2. Fungus valde ad maturitatem accedens, ab inferiori parte spectatus, ut tutius hymenii structura appareat.

...., *fig.* 3. Fungus perfecte evolutus.

...., *fig.* 4. Idem per longitudinem sectus.

NUM. VIII.

AGARICUS OCHROLEUCUS, Schaeff.

(Ser. III. *Cortinaria*. - Trib. XXI. *Dermocybe*, Fr.)

Agar: pileo carnoso subobtuso albo-pallescente; lamellis subliberis argillaceo-ochraceis; stipite subventricoso firmo. - Ex Fr.

Agar. ochroleucus, Schaeff. Fung. tom. IV, pag. 24, tab. 54. - Pers. Comment. pag. 22. - Ejusd. Syn. fung. pag. 295. - Fr. Syst. myc. vol. I. pag. 234.

In quercetis montosis Lucaniae (*Persano*, *Postiglione*, *Londrano*) sero autumno passim occurrit. Nomen vulgare deficit. Odor mucidus vel terrosus, sed sapor amaricans. Suspectus.

Obs. - *Pileus* disco praecipue carnosus, primo subglobosus, dein campanulato-convexus, interdum obtusissi-

me umbonatus, 2 unc. et ultra latus, sub vitrea lente obsolete sericeus; multa aqua imbutus, ad fuscum colorem vergit. *Lamellae* juniores leviter adnexae, postice latiores, confertae, 3 lin. latae, demum cinnamomeae: lamellulae inaequales, ventricosae. *Stipes* 3 unc. fere longus, 4-5 lin. crassus; apice e cortina fibrillosus, albidus, basi vero proliferus, subspadiceus.

Collatis sedulo meis speciminibus cum cl. Friesii descriptione, ac Schaefferianis figuris, jam paullo ante in citata tabula expressis, nullum discrimen inveni inter ea; qua de re ejusdem Friesii dubitatio super veritate harum imaginum omnino evanescit. Vitandum tamen est, pro nominis similitudine, confundere nostram speciem cum *Agar.* (*Russula*) *ochroleuco* Persoonii, Synop. fung. pag. 443, quia praeter diversitatem characterum, ad diversas quoque sectiones hi duo fungi pertinent.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXI, *fig. 1.* Quatuor fungi basi insimul connati, in quibus progressivum eorum incrementum distinctius observatur.

...., *fig. 2.* Fungus adhuc junior e latere visus: *a, a, a.* fila arachnoidea cortinam, seu velum fugacissimum, constituentia.

...., *fig. 3.* Individuum maturum per verticem sectum.

...., *fig. 4.* Pilei epidermis ope microscopii delineata, ut sericeum tomentum in ejus superficie clare appareat.

NUM. IX.

AGARICUS AEGIRITA, Nob.

(Ser. IV. *Derminus.* - Trib. XXII. *Pholiota,* Fr.)

Agar: dense caespitosus; pileo carnoso, primum subhemisphaerico fuscescente, postea convexo ruguloso fulvo, tandem expanso vel plano et oblique disposito, disco semper obscuriore, at marginem versus albo-pallente; lamellis dilute fuligineis demum fuscis latiusculis adnatis, exili dente lineari candido decurrentibus; lamellulis evanescentibus postice subrotundatis; stipite longo pleno fibrilloso albo-sericeo; annulo supero floccoso tumido subpersistente, stipite concolore.

Agar. Aegirita, Brio. Fasc. I.° di fung. litogr. Nap. 1824, tav. 1.-Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Rapp. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1827, pag. 40. - *Agar. populneus*, Pers. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 171 (characteres, asseverante ipso auctore, a specimine sicco desumpti). - Fr. Ind. alphab. in Syst. myc. ejusq. suppl. pag. 36, col. 2. - *Agar. piopparello?* Viv. I funghi d'Ital. mang., velen. e sospetti (non vidi icones). - *Agar. vagus*, Ottav. Op. adhuc ined. (si *Fungus vagus vulgatissimus* vel *Fungus vagus alter,* Batt. Fung. arim. pag. 31, tab. 8, fig. A-E, sive *Agar. vagans,* Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 2), a prof. Vinc. Ottaviani uti synonymon suae speciei habetur, dubitandum non est nostrum agaricum, quoad staturam, pilei colorem, posticam lamellarum insertionem, et praesertim ob diversae Seriei notas, *Derm.* non *Leucosp.*, ab illo summopere discrepare). - *Fungo di pioppo,* delle Chiaje. Enchir. di Tossicol. teor.-prat. pag. 165, in annot. (inconsiderate hanc speciem *Agar. eduli*, Pers. adscribit).

Vere et autumno in populorum truncis vetustis ac recisis, post pluvias passim occurrit. Per duodecim annos volventes eum etiam legi a caudice cavo *Celtis australis*,

atque diligenter distinguere studui. Repetito vero scrupuloso examine, nihil novi in organis reperi.

Obs. - *Pileus* pro loco natali ac variis meteoricis caussis plus minusve firmus, 1 ½ - 5 unc. et ultra latus; junior margine valde rugoso, vel crispo. *Stipes* pariter nunc obesus et brevis, nunc gracilis et longissimus, 2-7 unc., subcylindricus, incurvus, et 4-7 lin. crassus; in senio una cum pileo facile tabescit, et a larvis eroditur (1). *Lamellae* inaequales, decoloratae, confertae, 1-3 lin. circiter latae, primo intuitu parum a stipitis vertice remotae (falsum collarium efformantes); earum margines, in individuis vero aetate provectis, tenuissimi ac laceri more *Lentinorum*. *Velum* siccum, album, saepe a sporidiis coinquinatum; rarius autem in perparvis tam flocoso-radiatum et fugax, ut difficile eveniat hanc designare speciem si inter Seriem tertiam (*Cortinariam*), aut quartam (*Derminum*). *Sporidia* copiosissima, ochracea, dein ad ferrugineum vergentia. Caro tenera, candida, optima; odor valde gratus; sapor initio viscidus, postea languide farinaceus.

Hist. et Usus. - Fere omni aetate venalis in nostris

(1) *Larva* apoda, 9- annullata, glabra, pallida, postice sensim incrassata; segmento ultimo plano, ac tuberculis variis circumdato. Levi tactione saltitat - *Pupa* ovata, coriacea, fulva. - *Imago* dilute flava; antennis setariis, ultimo articulo cylindrico; haustello tomentoso; thorace nigrescente, piloso; abdomine subconico, fasciis 5 rufis cincto; alis immaculatis; pedibus cinereis. Agilissima, et forsan odore allecta, modo circa nostros fungos tabescentes volitat, modo super eis quiescit. Forte varietas *Sapromyzae suillorum*? Rob. D. - Conf. Macquart, Hist. naturell. des insect. (Diptères), tom. II, pag. 399. - Suites à Buffon. Paris, 1835.

foris olitoriis exponitur haec species, sub nomine *fungio de chiuppo* (individua porro juniora *chiuvetielli* vocitantur), sed uberior est autumnali tempore post imbres. Non solum in truncis abscissis viridibus populorum colligitur, verum etiam exsiccatis et semimarcidis; dummodo hi in partes divisi, cellis vinariis aliisque locis humidis asservati, aqua tepida subinde irrigentur. Hujus generis fungi priscis haud fuere ignoti, quos distinxerunt nomine *Aegiritae*, et immo ab iisdem inveniuntur variae populorum species, cujus rei caussa non parum commendatae. Revera PLINIUS ita scriptum reliquit: » Populi tria genera; alba, ac ni- » gra, et quae Libyca appellatur, minima folio, ac niger- » rima, fungisque enascentibus laudatissima » (1); et alii populum nigram albamque, ut inferius dicam, etiam laudibus prosecuti fuere.

Veteres quoque, quomodo sibi hujusmodi fungos compararent omni tempore, cum comedere in deliciis haberent, magnam diligentiam, ac varias adhibuere rationes; hac de re eximius PORTA, in fine cap. 70, lib. x. suae *Villae*, ita loquitur: » Postremo eos prosequemur, quos » ars reperit. DIOSCORIDES tradit esse qui dicant, utrius- » que populi, albae nigraeque cortices in minutias conci- » sos, et segetibus stercoratis inspersos, fungos utiles, in- » nocentesque parere toto anno restibiles ». Addit etiam

---

(1) Hist. nat. lib. XVI, cap. 35. August. Taurin., ex typ. Josephi Pomba, tom. V (1832), pag. 532. - » Libycam vulgo Tremulam vocant, a tremulorum » foliorum crepitu strepituque assiduo, *tremble* ». HARD. not. in loc. nuper cit.

ipse auctor quod super eodem argumento Tarentinus memoriae prodidit : » Fermento (sunt verba scriptoris) in » ipsis populi nigrae truncis, juxta terram recisis, aqua » diluto, protinus coalescunt *Aegiritae* » (1). Insuper MATTHIOLUS explanans DIOSCORIDIS capitulum XCIII, de *Populo alba* et *nigra*, hos fungos laudat, et eandem methodum amplectens, ita se expedit: » Atqui praeterea quae a GALENO de » Populi facultatibus scripta sunt, sciant hoc velim rei medi» cae studiosi, populum albam humo tenus sectam ad radi» cem usque, et aqua calida, in qua fermentum fuerit disso» lutum, perfusam, infra quatriduum fungos copiosos ede» re, esui quoque gratissimos » (2). Hodie, uti antiquitus, isti fungi laute eduntur, et in conviviis, qui sunt prima aetate, quia sapidiores, ad gulae incitamentum sub variis embammatibus valde aestimantur.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XXXII, *fig.* 1. Caespes *Agarici Aegiritae*, ubi complura individua diversae aetatis observantur.

...., *fig.* 2. Fungus adhuc immaturus, per verticem sectus; *a*, *a*. velum; *b*, *b*. hymenium.

...., *fig.* 3. Idem fungus integer, ad ultimum incrementum perductus, et e latere delineatus.

(1) Francof. 1592, pag. 768.

(2) Basil., sumpt. Jöann. Konig, 1674, p. 133 (*Fungi ad Populum albam*).

TAB. XXXIII, *fig.* 1. Alter ejusdem speciei caespes, qui omnia individua in statu juniore (vulgo *chiuvetielli*), et laete virentia exhibet.

...., *fig.* 2. Tertius tandem e ligni frustulo assurgens, naturali magnitudine depictus, cujus fungi quamvis paullulum evoluti sint, nihilominus veli vel annuli rudimentis carent. - An insignis varietas? Majorem vero disquisitionem adhibere oportet.

...., *fig.* 3. Portio pilei ab individuo maturitati proximo dissecta, ut lamellarum ac lamellularum forma magis pateat.

...., *fig.* 4. Sporidia sub simplici microscopio visa.

...., *fig.* 5, *a.* Larva, quae fungi carnem devorat; *b.* ejusdem pupa, et *c.* imago nativa mole, ac lentis auxilio expressae.

NUM. X.

AGARICUS BOMBYCINUS, Schaeff.

(Ser. V. *Pratella*. - Trib. XXXI. *Volvaria* Fr.)

Agar: pileo campanulato sericeo candido; lamellis carneo- rubentibus; stipite cylindrico solido (sursum) attenuato incurvo albo; volva laxa. - Ex Fr.

Fungus magnus, esculentus, e volva erumpens, pileolo villoso albo, lamellis carneis, pediculo cylindrico, glabro, pariter albo. Mich. Gen. pag. 182, tab. 76, fig. 1 (non 2. a Fr. et Pers. cit., quia huic speciei minime convenit).- *Agar. incarnatus,* Batsch. Elench. fung. pag. 51.- Roqu. Hist. des champ. pag. 143. - *Agar. bombycinus,* Schaeff. Fung. tom. IV, pag. 42, tab. 98. - Fr. Obs. I, pag. 1. - Ejusd. Syst. myc. vol. I, pag. 277. - Vittad. Descriz. dei fung. mang. pag, 351. - *Amanita calyptrata*, Lamk. Enc. I, pag. 105. - *Aman. denudata*, Schrad. Spic. pag. 115. - *Aman. incarnata*, Pers. Syn. fung. pag. 248. - Ejusd. Cham. com. pag. 185.

Autumnali tempore in nemoribus montosis Principatus Citerioris (*Persano*, *Postiglione*, *Sicignano*), ad truncos emarcidos et vetustos fagorum non infrequens occurrit. Solitarius.

Obs. - *Pileus* junior conicus, et corio volvae ex toto obtectus, postea subcampanulatus vel globoso-expansus, 2-6 unc. latus, margine villosus. *Lamellae* remotiusculae, ventricosae, inaequales: lamellulae numerosiores, postice rotundato-acutae. *Stipes* glaber, subbulbosus, 3-4 unc. longus. *Volva* ampla, conico-ovata, persistens; ab initio membranaceo-squamosa ac dilute fusca, deinde coriacea, glabra, albido-flava,

subradicata, plerumque calyptratim dehiscens. *Sporidia* copiosissima, obscura. Caro mollis, alba, more esculentorum sapida.

Loco natali ab agricolis *volozza pelosa* dicitur, sed pro esu minime adhibetur. Italiae et Sueciae autem, teste ipso MICHELIO aliisque illustrioribus mycologis, edulis est.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XXXIV. *fig.* 1. Volva perfecte ovata, exteriori superficie squamoso-fibrillosa, in cujus sinu fungum parvulum ex integro abscondit.

...., *fig.* 2. Eadem volva magis evoluta, forma conico-ovata, et exterius cortice laevi distincta.

...., *fig.* 3. Ejusdem sectio perpendicularis, commonstrans naturali magnitudine ac sede intimas fungi partes, necnon mirum naturae opificium tuendi plantam adhuc tenellam.

...., *fig.* 4. Fungus maturitati proximus, et e volva lacera ascendens, qui in pilei disco calyptra exsucca, e fractura tunicae ejusdem volvae formata, instructus est.

...., *fig.* 5. Portio a pileo fungi abscissa, ut lamellarum forma ac dispositio clarius pateant.

...., *fig.* 6. Sporidia sub microscopio delineata.

NUM. XI.

AGARICUS GENICULATUS, Nob.

(Ser. V. *Pratella*. - Trib. XXXII. *Psalliota*, Fr.)

Agar: pumilus sparsus lignatilis; pileo leviter carnoso campanulato-expanso humido dilute badio, margine hinc inde fisso ac lacero; lamellis confertis demum nigris undulatis, antice rotundatis, postice vero circa collarium latum sensim evanescentibus; stipite albido, radii pilei longitudine, deorsum subbulboso geniculato; annulo obsoleto infero.

Distinctissima haec species novembris mense ad truncos, et ramos dejectos per agrum Salvitellensem viget.

Obs. - *Pileus* 1 unc. et ultra latus, junior fere conicus. *Lamellae* integrae, liberae, primum griseo-fuscae, dein nigrescentes. *Stipes* a pileo discretus, sat firmus, vix 10 lin. longus, ad basim incurvus, et bulbillo compresso praeditus. Caro tenuis, insipida, sed farinam recentem olet. Forsan edulis?

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXV. E tribus figuris in hac tabula contentis, *1*. *Agaricum geniculatum* in sua nativa mole, *2*. longitudinaliter sectum, *3*. demum resupinantum demonstrant.

NUM. XII.

AGARICUS MEDUSA, Nob.

(Ser. V. *Pratella*. - Trib. XXXII. *Psalliota*, Fr.)

Agar: mediocris; pileo hemisphaerico albo-flavescente, ad oras lobato, et ex veli laciniis inaequaliter fimbriato; lamellis primo sordide albis subcrispis, dein flexuosis fuligineis, marginibus perbelle crenulatis; stipite longo tereti albido.

Agar. crenulatus, Brig. (non Schum.)-Conf. delle Chiaje, Enchir. di Tossicol. teor.-prat. pag. 11, et Atl. fasc. III, tab. IV, fig. 1, 2 (quoad habitum).

Junii initio post imbres solitarium, et raro caespitosum ad terram in viridariis suburbanis (*Napoli*, *Portici*, *Caserta*), ex citris aurantiisque consitis, inveni. Senio valde noxius canibus atque felibus; sed domi asservatus, gratissima *Blattae orientali* esca evadit!

Obs. - Fungi juvenes toti albi, praeter lamellas colore cerino tinctas, quorum *pileus* semper globosus. In adultioribus idem pileus superne non raro rimosus, siccus, sublaevis, 1-2 unc. latus. *Lamellae* inaequales, latae, convexae, fere liberae; integrae a dimidiatis distinctae: lamellulae postice acuminatae. *Stipes* 1-2 unc. longus, 2-3 $\frac{1}{2}$ lin. crassus, solidus, obsolete fibrillosus, et ad basim parum incurvus, subtuberosus, ac nonnullis radiculis praeditus. *Velum* annuliforme, subfugax, et non raro supra fuscum, ob sporidia ejusdem coloris, quae in fungi maturitate copiose a lamellarum marginibus decidunt.

Hanc speciem observatu jucundam, nomine specifico *Medusa* designavimus, quod exterior ejus pilei ac hymenii forma adumbrat umbellam aliquot molluscorum generis *Medusae* Linnaei.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXVI, *fig.* 1. Individuum immaturum jam descripti agarici, fere ab hymenii parte delineatum, ut ejus velum *a*, *a*. clare appareat.

...., *fig.* 2. Individuum bene evolutum, quoad faciem exteriorem pictum.

...., *fig.* 3. Idem supinum, et cum stipite transversim secto.

.... *fig.* 4. Fungum longitudinaliter abscissum haec icon ostendit, quo distinctius *a*, *a*. veli fimbriae; *b*, *b*. annuli vestigia, et *c*, *c*. lamellarum dispositio pateant

.... *fig.* 5. Portio lamellae vitrea lente aucta.

INDEX

FUNGORUM, QUI IN TERTIO HOC SPECIMINE CONTINENTUR.

FRANCISCI BRIGANTI

DE

FUNGIS REGNI NEAPOLITANI

HISTORIA.

SPECIMEN QUARTUM.

REGIAE
SCIENTIARUM ACADEMIAE NEAPOLITANAE
FRANCISCUS BRIGANTI.

CLARISSIME PRAESUL, ORNATISSIMI VIRI

Cum non sine labore ac industria, magnisque impensis multas rariorum fungorum species collegissem, quartam et quintam hujus regni Historiae mycologicae, quam pater meus desideratissimus alacri animo incepit, distributionem absolventes, a re alienum minime ratus sum Vobis, earumdem descriptiones utillimis animadversionibus auctas, exhibere, quas perinde ac alias hilari, ut soletis, fronte excepturos esse confido. Nec distuli etiam earum imagines anxia cura ad naturae veritatem proprio penicillo productas addere, quibus oculi certe pascerentur eorum, queis rem ipsam usurpare coram non licebit. Ita e privatis sylvestrium locorum latebris hae stirpes, non aliquo certe emolumento carentes, in publicae disciplinae lucem veniunt.

Collectionem itaque, qua de agitur, non solum hujusce metropolis ageribus suburbanis, sed etiam in Cam-

paniae ac Citerioris Principatus dissitis locis, superioribus aetatibus confeci. Cum in hac coeli temperie nihil eorum cryptophytorum fervente aestatis calore, et pauca in veris reditu inveniantur; plurima vero in autumno post largos imbres scatent, et hiemali tempore dummodo saevi aquilones minime debacchentur. Haec gens etiam vivendi more tam longe ab aliis plantis distat; nam non sicca loca ac adusta, sed, uti inter animalia *mollusca*, uda et sole carentia amat, nec sereno aëre, sed nimboso crebrisque pluviis oblectantur: idcirco in hisce quadripartiti praecipuis anni vicibus frequentius ac copiose occurrunt, in quibus, quo nostrae telluris superficiem ornet, et iis diligens Natura utitur; illi enim squallori, qui ab aliarum stirpium defectu in ea videretur, supplent istae alias ipsam terram exornantes. Ita Naturae theatrum nitore, et adolescentia sempiterna fulget, non minori certe Dei opera intuentium oblectamento.

Hanc igitur fungorum copiam in duas diatribas dispescui, de quibus totidem vicibus sermo redibit; nam sane vestra patientia abuterer, si omnium ejus specierum διάγνωσιν unica narratione Vobis, benevoli viri, aperire voluissem. — Valete.

Dabam Neap. Non. Septembris,

M.DCCC.XXXVII.

SPECIERUM DESCRIPTIONES.

NUM. I.

AGARICUS TUBERCULATUS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. II. *Lepiota*, Fr.)

Agar: pileo subcarnoso convexo-explanato regulari alutaceo-pallido, plus minusve saturo, velo crassiusculo, in turbercula concoloria secedente, vestito; lamellis confertis approximatis stipiteque subbulboso brevi incurvo albis; annulo infero fugaci.

Agar. turberculatus, Brig. jun. Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Disc. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1839, pag. 5 (quoad affinem specificam vocem minime permiscendus cum *Agar. turberculoso* Schaeff. Fung. tom. IV, pag. 34, tab. 79, figg. inf.).

Autumni tempore in sylvis et campestribus circa Neapolim (*Camaldoli, S. Rocco, R. Bosco di Capodimonte*), imbribus praeviis, sparsim nascitur.

Obs. - *Pileus* prima aetate fere globosus, et substantia alba ac spongiosa circa stipitis basim annectitur; in adultis planiusculus, 1 ½ - 2 ½ unc. latus; siccus ad oras tantillum striatus, et plerumque fissus. Tubercula (*verrucae*) polymorpha, ad lentem visa, villo brevi ac denso conflata observantur. *Lamellae* medium versus parum ventricosae, utrinque attenuatae, marginibus integerrimis:

lamellulae rariores, sparsae, postice subrotundatae. *Stipes* cylindraceus, solidiusculus, 1 $\frac{1}{2}$ - 2 unc. longus; basi 6-7 lin. crassus, fibrillosus, apice vero vix attenuatus. *Annulus* membranaceus, candidus. Caro albo-pallescens, tenera, jove pluvio aquosa.

Ad esum colligitur sub communi nomine, sed perperam, *fungio peperino* distinctus, et venalis supradicto tempore in nostris foris cum aliis prostat. Sapore subdulci est praeditus, odoris tamen omnino expers. Obiter visus, *Agaricum asperum* Friesii (*Aman. asperam*, Pers.) diceres; sed valde ab illo discrepat, necnon ab *Agar. piperato* Bulliardi.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXVII. Icones, quae in praesenti tabula habentur, *1*. fungum adhuc juvenem, *2*. in sua aetate adultiori, *3*. denique per longum dissectum ostendit.

NUM. II.

AGARICUS MELLEUS, Vahl.

Var. *b*, Agar. Coryli, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. III. *Armillaria*, Fr.)

Agar: caespitosus; pileo carnoso convexo late umbonato laevi croceo-fuscescente, margine vero dilutiori; lamellis

primo albidis dein pallidis; stipite subcylindrico, basim versus sensim obeso ac brunneo-rufo, ad apicem lamellis concolore; annulo patulo persistente candido, limbo crassiusculo flavo.

Fungus esculentus, ex uno pede multiplex, pileolo desuper ex spadiceo flavescente, ad oras nonnihil undulato, subtus albo, pediculo subobscuro, inferiora versus crassescente, et veluti bulboso. Mich. Gen. plant. pag. 199, tab. 81, fig. 2 (pilei marginem quidem undulatum dicitur, sed in hac icone potius striatum).- *Polymyces melleus,* Battar. Fung. arim. pag. 35, tab. 11, fig. C. (excl. aliis imaginibus, ac synonymis ad speciem typicam Vahl. spectantibus). - *Agar. corylinus,* Brig. jun. (non *coryleus orbicularis,* C. Bauh. Pin. pag. 372). Ragg. de'lavori accad. della Soc. R. Borb. (Disc. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1839, pag. 5.

Novembris fine provenit ad caudices putrescentes *Coryli Avellanae* prope Neapolim (*valle di S. Maria de' monti*), alibique. Nuperrime quoque inventus a perillustri nostro phytographo Joann. Gussone super truncis adhuc virentibus *Ailanthi glandulosae.* - Edulis, et vulgo dicitur *fungio de nocella.* Interna pilei substantia tenera est ac alba; odor suavis; sapor primo subdulcis, dein fungis culinae inservientibus simillimus.

Obs. - *Pileus* 2-3 unc. latus, viscido humore infectus, centro umbonatus, demum subconcavus; umbone planiusculo obscuriore; margine incurvo, leviter undulato, in adultis vero irregulari ac fisso. *Lamellae* medio 3 lin. latae, confertae, fere ad annulum dente decurrentes, initio arcuatae, subcrispae: lamellulae inaequales, postice rotundatae. *Stipes* 2-3 unc. longus, deorsum 7-8 lin. crassus, intus

spongiosus, cute autem fibroso-coriacea ac elastica tectus. *Annulus* regularis, magnus, supra longitudinaliter sulcatus, dein reflexus. *Sporidia* albida, copiosissima.

Minime hic fungus cum *Agarico melleo* Vahlii, ejusque varietate (*Agar. Vitis*) in Specim. III, pag. 47, ab optimo meo parente descripta, confundendus est; nam ab illis tota pilei superficie perbelle laevi ac viscida, lamellis confertis, non subdistantibus, annulo constanter candido, non supra albido-roseo, et subtus lutescente, sapore nunquam nauseoso vel amaro, aliisque minoribus notis discedit.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXVIII, *fig.* 1. Pars caespitis jam descriptae varietatis, fere in sua naturali statura delineata, quae diversae aetatis individua profert.

...., *fig.* 2. Unum ex iisdem per longum dissectum, quo manifestiores sint lamellarum figura, et interna stipitis substantia.

NUM. III.

AGARICUS OREADES, Bolt.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. VIII. *Clitocybe*, Fr.)

Agar: gregarius (mediocris); pileo glabro subcarnoso tenace umbonato pallescente-rufo; lamellis distantibus ven-

tricosis liberis albido-pallidis; stipite nudo solido tereti villoso-corticato. - Ex VITTAD.

Fungus parvus, esculentus, odoratus, coriaceus, rufus, lamellis inter se longe distantibus. MICH. Gen. plant. pag. 148, num. 3. - *Agar. caryophyllaeus*, SCHAEFF. Fung. tom. IV, pag. 33, tab. 77 (optime). - PERS. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 144. -*Agar. oreades*, BOLT. Funguss. tab. 151 (bene). - FR. Syst. myc. vol. I, pag. 127.-VITTAD. Descriz. dei fung. mang. pag. 65, tab. 10, fig. 1, A–F. (ad naturam expressae). - *Agar. pseudo-mouceron*, BULL. Champ. tab. 144 (quoad habitum), et 528, fig. 2 (bene). - PERS. Champ. com. pag. 208. - CORD. Guid. de l'amat. de champ. pag. 190. - *Agar. pratensis*, SOWERB. Fung. tab. 247 (eleganter). - *Agar. tortilis*, DECAND. Flor. fr. tom. II, pag. 194. - ROQU. Hist. des champ. pag. 115, tab. 16, fig. 7 et 8 (male). - *Agar. collinus*, PERS. Syn. fung. pag. 330 (excl. synon.). - Ejusd. Comment. pag. 91. - ZANTED. Giorn. di Fis. Dec. II, tom. IV, pag. 91. (excl. synon.). - *Hypophyllum odoratum*, PAUL. Champ. tom. 2, pag. 220, tab. 103, fig. 1-4. - *Marasmius oreades*, FR. Epicr. syst. myc. pag. 375.

Vere et autumno haec innocua fungi species per totam Campaniam, alibique communis, in pascuis, versuris, pomariis, vinetis, graminum radices atque culmos in terra obrutos occupat; ubi interdum e plurium individuorum concursu modo seriem, modo regularissimos efformat circulos. Ab Etruscis, monente MICHELIO, appellatur *fungo color d'Isabella*, et vulgo *gambe secche;* a Gallis *faux-mousseron, mousseron d'automne, mousseron pied-dur, mousseron godaille* aut *dieppe;* a Germanis *nägeleinschwamm* vel *nägelschwamm* (1); apud nostrates autem nullo designatur nomine, nec pro esu adhibetur.

---

(1) Mycologus mediolanensis Carolus VITTADINIUS, jam peracta discussione super *Agarico oreade* et *esculento*, rectius autumat *oreadem* esse verum fungum

Obs. - » *Pileus* (1-2 unc. latus) junior obtuse conicus,
» margine laevi, hinc convexo-explanatus, obtuse umbona-
» tus; demum excavatus, ac interdum obsolete umbilicatus,
» marginibus undulatis pallescentibus, striato-sulcatis. *La-*
» *mellae* crassae, ventricosae, postice rotundatae (fere
» 2 lin. latae) ac apici stipitis, in statu juniori, ad-
» nexae; demum liberae, flavescentes, supra reticulatim
» connexae: lamellulae minus latae, numerosiores, postice
» acutiusculae. *Stipes* (1 $\frac{3}{4}$ - 2 $\frac{1}{2}$ unc. longus, et 1 $\frac{2}{3}$ - 2 lin.
» crassus) albidus, solidus, intus fibroso-sericeus, a pileo
» distinctus, demum expallidus, villo tenuissimo, perbrevi
» vestitus, ac veluti corticatus, radicibus graminearum, quas
» necat, basi strigoso-tomentosa, albida plerumque inna-
» tus; exsiccatione tortilis. Caro albida, subtenax, saporis
» et odoris grati aromatici ». - Vittad. l. cit.

Minime autem confundendus cum *Agar. collino* Scop., et *esculento* Wulf. sive *Clavo* Linn., a quibus longe distat lamellarum forma ac numero, stipite pleno, odore debili, quasi florum *Eugeniae caryophyllatae*, et colore ob senescentem aetatem semper pallidiori (1).

---

nägeleinschwamm germanorum; attamen ambae hae species, ob remotam inter se similitudinem, vel potius fraudis caussa, confuse illic leguntur, recentesque prostant apud mercatores et nundinarios. - Conf. ejusd. auct. op. superius cit. pag. 67, not. 1.

(1) Vid. diagnosim, et imagines *Agar. Clavi* in Spec. II. hujus op., pag. 29, tab. V, fig. 4-6.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXIX, *fig.* 1. Aliquot hujusce speciei individua e radicibus exsiccatis *Tritici repentis* assurgentia, quorum varias (praesertim pilei) formas, juxta crescendi modum, *a*, *b*, *c*, et *d f* ostendunt.

...., *fig.* 2. Fungus adhuc junior, per verticem sectus, ut lamellae parte postica rotundatae, ac stipitis apici subadnexae appareant.

...., *fig.* 3. Fungus ad senectutem valde accedens, pariter recisus, quo interna pilei et stipitis substantia, lamellarum ac lamellularum dispositio, numerus, figura, aliarumque partium signa clare oculis subjiciantur.

NUM. IV.

AGARICUS ANDROSACEUS, Linn.

Var. *a*, Agar. hygrometricus, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. IX. *Collybia*, Fr.)

Agar: tenuis gregarius; pileolo late campanulato striato, disco fulvo colore tincto, ad oras vero radiatim dilutiori; lamellis albis distantibus aequalibus attenuato-adnexis; stipite praelongo capillari cartilagineo nigerrimo.

Fungus caule capillari, nigro, Androsaces capitulo, Bocc. Mus. pag. 143, tab. 104 (fig. rudes). - *Fung. minimus, Adianthi aurei pediculis*, etc. Raj. Hist. plant. suppl. tom. III, pag. 19 (excl. synon. Menz.). - *Aman. minima, muscosa*, Dill. Cat. giss. pag. 182? - *Agar. pileolo striato, hemisphaerico, parvo ; lamellis angustissimis, paucis; petiolo capillaceo altissimo. - Fungi substantia tota in pileolo siccior et coriacea, in petiolo cornea ferme esse videtur*. Gled. Meth. fung. pag. 108 (optime, sed excl. synon. Vaill.). - *Agar. epiphyllus*, Bull. Champ. tab. 569, fig. 2, C. - *Agar. androsaceus*, Linn. Var. *olivetorum*, Montg. Not. sur les plant. crypt. pag. 18. num. 49. - *Agar. Adianthipes*, Brig. jun. Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Disc. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1839, pag. 5.

Solummodo e foliis marcescentibus *Oleae europaeae* humo dejectis, post diuturnas pluvias autumnales hunc pusillum fungum prodire vidimus; et octobris mense ann. 1836 in herbosis roridis circa Vesevum (*Portici, Somma, Resina*) primum legimus.

Obs. - *Pileolus* vix 2 lin. aequat, tenerrimus, membranaceus, pellucidus; junior subglobosus, mox late campanulatus, tandem deformiter crispus nigrescit, et non raro sponte decidit. *Lamellae* (potius minutissimae plicae, 7-11) exiles, exsuccae, arcuatae. *Stipes* tenax, flexuosus, glaberimus, pro conditione loci plus minusve elongatur (9 lin. - 2 unc. et ultra), ad lucem more plantarum perfectiorum tendens. Aëre sicco saepissime tortilis, seu in gyrum actus fibris spiralibus gaudet; sed pluvioso vel vaporibus referto denuo in pristinum se restituit: idcirco, uti aristae avenaceae, *hygrometri* vegetabilis functionem exercet. Hoc phaenomenon, quod physicorum observationi vulgo apparet, ansam mihi praebuit ab eodem instrumento nomen jam descriptae varietatis desumere.

Externa facie hic fungillus *Agar. androsaceo* LINNAEI (Flor. suec. num. 1193) et FRIESII (Syst. myc. vol. I, pag. 137), nempe *Marasmio androsaceo* ejusd. (Epicr. syst. myc. pag. 385) simillimus. At ob constantem pilei colorem, lamellarumque formam, prae ceteris characteribus velut illius varietas merito dijudicanda est.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XII, *fig.* 4. Complures fungilli diversae aetatis ac magnitudinis, folio semiputrido oleae insidentes.

...., *fig.* 5. Individuum sejunctum, fere a pileoli centro, lentis ope visum.

...., *fig.* 6. Idem ab hymenii parte expressum.

...., *fig.* 7. Stipes aridus magis magisque auctus, quo ejus spira manifestior sit.

NUM. V.

AGARICUS FILICINUS, SPRENG.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. X. *Mycena*, Fr.)

AGAR: pusillus tenellus totus roseus; pileo campanulato obtuso laevi, ad lentem striato; lamellis integris latis distantibus adnatis; stipite flexuoso tenui glabro, basi tumida strigoso-radiata.

Fungus minimus, capitello conico etc. RAJ. Hist. plant. suppl. tom. III, pag. 19. - *Agar. filicinus*, SPRENG. Syst. veg. tom. IV, pag. 438. - PERS. Myc.

europ. sect. III, part. I, pag. 243, tab. 28, fig. 6 (*b.* lente aucta, quoad vero faciem exteriorem). - *Agar. rosellus*, Wither. Bot. arrang. pag. 237. - *Agar. pterigenus*, Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 160. - Ejusd. Obs. I, pag. 43. - Ejusd El. fung. I, pag. 21. - Ejusd. Epicr. syst. myc. pag. 118.

Perpulchra haec species quandoque nascitur in stipitibus, rachibus costisque congestis, et senio moribundis filicum (*Pteridis aquilinae* et *creticae*). Octobris mense ann. 1838 primum mihi obviam venit circa Alburni declivia.

Obs. - Experientia edoctus sum, observationes Friesianas de hac exigua specie minime ambiguas retineri posse, qua ratione ipsius verba praesenti pagella ad amussim communicare animus est. » *Stipes* in perfectis eximie fistulo-» sus, 1-3 unc. longus, basi tomento strigoso radicato » patentissimo plerumque insidens. *Pileus* dein umbili-» catus, 1-3 lin. altus. *Lamellae* 6-8, adnato-decurrunt ». - Vid. l. cit. Syst. myc.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXV, *fig. 4*. Quatuor funguli diversae aetatis, frustulo stipitis semiputridi *Pteridis aquilinae* haerentes.

. . . . , *fig. 5*. Unus ex iisdem perfecte evolutus, tubi optici auxilio auctus.

. . . . , *fig. 6*. Idem fungulus pariter visus, et per verticem sectus.

NUM. VI.

AGARICUS NUCIDAE, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. X. *Mycena*, Fr.)

Agar: parvus gregarius fragilis; pileo membranaceo subhemisphaerico hygrophano intense ferrugineo, oculo nudo laevi, ad lentem pubescente-fulvo, margine integro; lamellis lanceolatis albo-carneis; stipite concolore, sed sericeo-splendente, tereti eximie fistuloso, et ad basim villo denso candidissimo praedito.

Ineunte octobri, super dejecta et semiputrida amygdalarum putamina lignea, antiquitus *Nucidas* dicta, in meo viridario (*Portici*) non infrequens, quibus descripto villo fortiter adhaeret.

Obs. - *Pileus* subdiaphanus, 3 lin. circiter altus, et 3 ½ latus; in tenellis fere globosus, demum campanulato-lacer ac obsolete striatus, apice nudo, humidulo, carnoso. In sicca planta ejus color, margine excepto, ad cervinum vergit, et pubescentia albescit; lamellae stipesque vero immutabiles. *Lamellae* inaequales, liberae, adscendentes, parte anteriori rotundatae, et tantillum pilei periphaeria breviores, posteriori autem acutae: lamellulae plus minusve longae. *Stipes* a pileo discretus, gracilis, glaber, 16-18 lin. longus, sursum versus pulvisculo albo (an sporidiis?) sparsus, inferne sensim crassior. - Insipidus, et peculiaris odoris

*.

expers. - Remotam analogiam habet cum *Agar. pilosello* Pers. (Syn. fung. pag. 387, et Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 280), scil. Var. β. *Agar. teneri* Fr. (Syst. myc. vol. I, pag. 266).

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XIV, *fig.* 4. Duo individua jam descriptae speciei perfecte evoluta, et e basi nucis *Amygdali communis* assurgentia.

...., *fig.* 5. Fungus in statu senescente seorsim pictus.

...., *fig.* 6. Fungus alter ad maturitatem valde accedens, per verticem sectus.

...., *fig.* 7. Pars pilei sub tubo optico delineata, ut ejus pubescentia distincte pateat.

NUM. VII.

AGARICUS CROCEO-AURATUS, Nob.

(Ser. III. *Cortinaria*. - Trib. XXI. *Dermocybe*, Fr.)

Agar : mediocris sparsus; pileo subcarnoso conico-expanso vel convexiusculo croceo; lamellis fusco-viridibus subconfertis undulatis adfixis; stipite longo fistuloso amoene aureo; velo fugacissimo.

Agar. croceo-auratus, Brig. jun. Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Disc. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1839, pag. 5.

Novembris mense ad terram per agrum Salvitellensem rarius occurrit. Vernaculo nomine caret; suspectus.

Obs. - *Pileus* 1 ½ - 2 unc. latus, epidermide crassiuscula tenacissima vestitus; superficie repanda, glaberrima, sicca; margine tenui, involuto, senio plerumque lacero. *Lamellae* inaequales, latiusculae, primo crispae, olivaceae, demum fusco-virides ac sinuato-undulatae. *Stipes* subaequalis, leviter flexuosus, nitidus, 2 ½ - 3 unc. circiter longus, et 2 ½ lin. crassus; in junioribus farctus. *Velum* araneosum, siccum. Caro lutea, inodora, cujus fragmenta dentibus contusa, mox amarum, postea saporem acrem produnt. - Species isthaec *Agar. lateritio* Schaeff., sive *amaro* Bull. quodammodo affinis; attamen ob seriei III non V, et tribus XXI non XXXIII, characteres praesertim discrepat (1).

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XL, *fig. 1*. Individuum adhuc immaturum *Agarici croceo-aurati; a, a.* velum araneosum; *b, b.* lamellae crispae.

...., *fig. 2*. Individuum perfecte evolutum, ingenita magnitudine pictum.

...., *fig. 3*. Idem per verticem divisum.

---

(1) Vid. Conspect. syst. gen. *Agarici*, in hujusce operis pag. 1-3.

NUM. VIII.

AGARICUS ADPRESSUS, Nob.

(Ser. IV. *Derminus*. - Trib. XXVII. *Naucoria*, Fr.)

Agar: pumilus lignatilis; pileo submembranaceo late campanulato hispido castaneo, margine, in adultis, patulo tenui fimbriato flexuoso, in junioribus arcte circa stipitem involuto; lamellis subfalcatis acute adnexis rufescentibus undulatis; stipite brevissimo tereti coriaceo, colore ac superficie pileo simili, apice tantum dilutiori ac pulverulento,

In Lucania ad asseres mucidos et cariosos *Castaneae vescae*, autumni initio gregatim provenit; rarus.

Obs. - *Pileus* 1-6 lin. latus, prima aetate subglobosus, dein convexo-expansus, forma ac colore galericulum referens. *Lamellae* inaequales, latiusculae, distantes; majores vix 1 lin. aequant. *Stipes* 1-4 lin. longus, $\frac{1}{2}$ - 1 crassus, solidus. Hispiditas sub microscopio nonnullis, variisque flocculis composita est, quorum pili densi, crispi, et inter se agglutinati apparent. Haec distincta species e subiculo flavo-gossypino erumpit, et exsiccata bene asservatur. Firmiter vidi etiam in permultis individuis cujuscumque aetatis pilei discum, intorto stipite, ligni superficiem adpremere, unde nomen specificum. - *Agar. sipario* Friesii (Syst. myc. vol. I, pag. 261) quoad habi-

tum convenit; sed minori statura, lamellarum marginibus nunquam villosis, stipite solido, nec unciali et farcto, aliisque notis distat.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XLI, *fig.* 1. Frustulum ligni carie emollitum, in quo complura nostri agarici individua adhaerent.

...., *fig.* 2. Fungus perfectus seorsim depictus; *a*, *a*. subiculum.

...., *fig.* 3. Idem fungus desuper spectatus per lentem.

...., *fig.* 4. Idem ad perpendiculum dissectus, ut lamellarum forma, et stipitis pileique substantia plane appareant.

...., *fig.* 5. Hispiditas pilei microscopio animadversa.

NUM. IX.

AGARICUS TENER, Schaeff.

(Ser. IV. *Derminus*. - Trib. XXVIII. *Galera*, Fr.)

Agar: pileo submembranaceo conico-campanulato obtuso hygrophano laevi ochraceo-ferrugineo; lamellis adnatis confertis adscendentibus dilute-cinnamomeis; stipite longo aequali subnitido pileo concolore.

Bulla flavicante pileolo, Battar. Fung. arim. pag. 59, tab. 28, fig. Z, an *Bulla lateritia pileolo glandiformi*? Ejusd. pag. 58, tab. 28, fig. T.-

Agar. foraminulosus, BULL. Champ. tab. 403, fig. B, C, et 535, fig. 1. - *Agar. tener*, SCHAEFF. Fung. tom. IV, pag. 31, tab. 70. - SOWERB. Fung. tab. 33. - PERS. Syn. fung. pag. 386. - Ejusd. Myc europ. sect. III, part. I, pag. 279. - FR. Syst. myc. vol. I, pag. 265. - Ejusd. Epicr. syst. myc. pag. 204.

Frequentius in graminosis Campaniae (*Frasso a S. Vito*, *Fondi*) provenit, non raro etiam in sylvulis prope Neapolim (*Valle di S. Rocco*, *Ponti rossi*). Aestate et autumno.

OBS. - Fungus parvus, totus humidus, fere unicolor, fragilis, inodorus; siccus, praecipue superior pilei facies et stipes pallescunt. *Pileus* 4-7 lin. circiter altus, in junioribus subhemisphaericus, in adultis rare campanulato-umbonatus; sed saepissime dilute ferrugineus, et margine revoluto-striatus. *Lamellae* inaequales, demum liberae, $\frac{2}{3}$ - 1 $\frac{1}{2}$ lin. latae, tenerrimae, pulvisculo ochraceo obsitae. *Stipes* 2-3 unc. longus, vix lin. crassus, teres, gracilis, fistulosus, basi clavatus, et exilissimis fibris albidis praeditus. *Velum* pro more fugacissimum.

Eximius El. FRIES tres hujusce speciei varietates in suprascripto Syst. (pag. 266) refert, nempe β. *Agar. pilosellum*, γ. *pilosum*, et δ. *siligineum*: unam tantummodo beatus PERSOON in sua Myc. europ. (pag. 280), videlicet β? *Agar. phaeotrichum*, seu *pilosum* SCHUM. et FR., quarum characteres hic non exhibeo, quia fateor me ex tanta et tam individuorum differentia certos limites adhuc statuere minime potuisse.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XIX, *fig.* 5. Duo individua aetatis diversae, in loco natali depicta.

...., *fig.* 6. Fungulus nondum evolutus, pileo fere hemisphaerico.

...., 7. Individuum maturitati proximum, pileo campanulato-umbonato.

...., *fig.* 8. Individuum perfecte evolutum, et ad perpendiculum sectum, pileo campanulato-conico.

...., *fig.* 9. Individuum aetatis ferme praecedentis, facie prona delineatum, cujus hymenium maxime est conspicuum.

...., *fig.* 10. Lamellae simplici lente inspectae; *a*, *a*, *a*. sporangia per earum superficiem dispersa.

NUM. X.

AGARICUS MOLLIS, Schaeff.

(Ser. IV. *Derminus*.-Trib. XXX. *Crepidotus*, Fr.)

Agar: gregarius subsessilis flaccidus; pileo convexiusculo subgelatinoso-carnoso glabro pallido aut lutescente; lamellis confertis linearibus ex albido aquose cinnamomeis.

Agar. mollis, Schaeff. Fung. tom. IV, pag. 49, tab. 213. - Pers. Comment. pag. 88. - Ejusd. Syn. fung. pag. 480. - Ejusd. Myc. europ. sect. III,

part. I, pag. 24. - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 274. - Ejusd. Epicr. syst. myc. pag. 210. - Sowerb. Fung. tab. 98. - *Agar. canescens*, Batsch. Elench. fung. 38. - *Agar. lateralis*, var. *g*. Schum. Saell. pag. 364.

Per totum autumnum in sylvis Lucaniae, Samnii, alibique, ad variarum arborum ramos tabescentes, vel ad terram in truncorum vicinitate etiam subcaespitosus occurrit. - Obiter visus, *Agar. alneo* Linn., sive *Schizophyllo communi* Fr. quodammodo similis apparet.

Obs. - *Pileus* subsessilis, 1 - 2 $\frac{1}{2}$ unc., antice vero semper latior; in junioribus glaber, albido-canescens; in adultis varie lobatus, margine luxurians, et e sporidiis plerumque rufo-maculatus. *Lamellae* inaequales, vix 1-2 lin. latae, numerosissimae, primo albo-griseae. » *Stipitis* rudimen- » tum (ut jam monuit Fries) substrigosum subinde adest. » Caro plus minus crassa, subgelatinosa, aquose pallida ».

Nescio autem quo pacto iste auctor tribuit *Agar. molli* figuram 1, et *Agar. pinsito* fig. 2, in eadem tabula Schaefferiana (ccxiii) depictas. Omnes imagines hujusce tabulae, absque ullo discrimine, ad unicam vero speciem spectare videntur, nempe ad *Agar. mollem*, quia inter se omnino congruunt. *Agar. mollis* ergo sub *pinsito*, uti synonymon, pro fig. 2 nuper cit., immerito a Friesio positus est. - Vid. Syst. myc. vol. I, pag. 184, num. 15.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XLI, *fig.* 6. Plures fungi aetatis, formae, ac magnitudinis diversae, emarcido ligni frustolo gregatim insidentes.

...., *fig.* 7. Fungus seorsim pictus, quoad hymenii faciem.

...., *fig.* 8. Idem fungus ad perpendiculum dissectus, quo lamellarum, et lamellularum figura ac dispositio apte in conspectum venirent.

NUM. XI.

AGARICUS OXYOSMUS, Montag.

(Ser. V. *Pratella.* - Trib. XXXV. *Psathyra*, Fr.)

Agar: gregarius fragilis; pileo subcarnoso fuligineo-nigrescente, primo campanulato, dein convexo-plano, demum margine revoluto appendiculato semper umbonato dense lanato; lamellis rubro-fuscis vel violaceo-nigrescentibus inaequalibus, stipiti fistuloso concolori furfuraceo appressis; annulo fugaci. Odor gravis acido-aromaticus! - Ex Montag.

Agar. oxyosmus, Montag. Notice sur les plant. cryptogam. a ajouter a la Fl. franç. (Extr. des Annal. des Scienc. naturell. Mai 1836.) pag. 20. pl. 13, fig. 2, a-d.

Kalendis decembribus ann. 1836 circa Puteolos, in

*

terra semel legi. Specimina plerumque gregaria, sed aliquando solitaria aut subcaespitosa. Noxius.

OBS. - *Pileus* ½ - 2 unc. latus, margine valde tenui, integro. *Lamellae* subventricosae, liberae, postice rotundatae. *Stipes*, praeter apicem, rariori ac breviori lana, quam in pileo, obductus; aequalis, fere rectus, 1-2 unc. longus, 1-1 ½ lin. crassus, fragillimus, ad tactum vero elasticus; basi perexilibus radiculis ornatus. *Velum* marginale, fugacissimum. Odor sui generis, qui pituitariam titillando, sternutamentum movet, ut recte exposuit oculatissimus MONTAGNE.

Tandem *Agar. echinatus* ROTHII (Cat. II, tab. 9, fig. 1) vel *fumoso-purpureus* LASCHII (in Linn. tom. III, pag. 420), quamvis a gallicano scriptore in dubitationem adducti, longe vero deflectunt ab *Agar. oxyosmo*, pro pilei ac lamellarum colore, stipitis forma, pubescentia, loco natali, et praesertim pro characteribus tribuum; quia species haec ad Psathyram, illae, uti e descriptionibus patet, ad Psalliotam pertinent.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XXVII, *fig.* 3. Tria individua per varios evolutionis gradus depicta.

...., *fig.* 4. Fungus adhuc immaturus, ad perpendiculum dissectus.

...., *fig.* 5. Portio pilei una cum stipite fistuloso paullulum aucta, ut interiora clare cernantur.

NUM. XII.

AGARICUS ANGUINUS, Nob.

(Ser. V. *Pratella*. - Trib. XXXVI. *Coprinarius*, Fr.)

Agar: caespitosus parvus; pileo subcarnoso ovato-conico humido olivaceo-fusco nitente, ad lentem obsolete striato, margine vix involuto; lamellis confertis fere liberis cinerascentibus, aciae dilutioribus; stipite longissimo flexuoso procumbente albido villoso.

Agar. anguinus, Brig. jun. (non *anguineus*, Fr. Epicr. syst. myc. pag. 193). Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Disc. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1839, pag. 5.

Labente octobri super marcidas radices *Coryli Avellanae* reperi (*Valle di S. Maria de' Monti*), et specimina uti totidem serpulae in terram reptantes apparebant.

Obs.-*Pileus* prima aetate subrotundus, dein ovato-conicus, nec adultus expansus; at semper erectus, persistens, 4 lin. altus, et 2 latus. *Lamellae* aequales, adscendentes, postice parum ventricosae, antice angustiores, vix ½ lin. latae. *Stipes* 2 unc. et ultra longus, teres, leviter fistulosus, fragilis; sursum attenuatus, argenteus ac fere nudus; basi vero fibrillis candidis radiatis praeditus. *Velum* araneosum, fugacissimum. Caro sordida, aquosa, inodora.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXXVII, *fig.* 4. *Agaricus anguinus* quomodo crescere solet, depictus est.

...., *fig.* 5. Perparvus caespes hujus funguli, in primordiis suae vegetationis delineatus.

...., *fig.* 6. Individuum perfectum, e loco natali evulsum, atque per pilei verticem dissectum.

...., *fig.* 7. Pileus paullo major, sed aeque incisus, ut lamellarum forma ac dispositio clare pateant.

INDEX

FUNGORUM, QUI IN QUARTO HOC SPECIMINE CONTINENTUR.

FRANCISCI BRIGANTI

DE

FUNGIS REGNI NEAPOLITANI

HISTORIA.

SPECIMEN QUINTUM.

SPECIERUM DESCRIPTIONES.

NUM. I.

AGARICUS CARCHARIAS, Pers.

(Ser. I. *Leucosporus*. -Trib. II. *Lepiota*, Fr.)

Agar: mediocris gregarius; pileo carnoso convexo obtuse umbonato granuloso, stipiteque squamuloso incarnatis; lamellis adnexis candidis. - Ex Pers.

Agar. Carcharias, Pers. Disp. meth. fung. pag. 16. - Ejusd. Syn. fung. pag. 263. - Ejusd. Icon. pict. rar. fung. pag. 11, tab. 5, fig. 1-3. - *Agar. granulosus*, Var. *d.* (pileo incarnato) Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 25. -* *Agar. Carcharias* ejusd. Epicr. syst. myc. pag. 18. - *Agar. albo-marginatus*, Schum. Saell. pag. 261. - *Agar. ramentaceus*, Krombh. Schw. tab. 25. fig. 21-25.

Ad elegantes pertinet species, et, juxta Friesium, varietates extant plures, nempe a. *pileo luteo*, b.—*ferrugineo*, c.—*cinnabarino*, d.—*incarnato*, et e.—*albido*. Verum enim aestate pluviosa var. d. semel legi inter muscos in nemoribus montosis Lucaniae (*Monte della Stella*). Recens odorem injucundum spirat; sed putrescendo foetidum. Anne perniciosus?

Obs. - *Pileus* junior subovatus, mox convexus, tandem expanso-umbonatus, 2 unc. circiter latus, epidermide contigua, squamulis simulque granulis exasperata, vestitus; margine integro, interdum undulato. *Lamellae*

inaequales, lanceolatae, primo albae, dein aquoso-flavescentes, fere 2 lin. latae: lamellulae postice rotundato-acutae. *Stipes* 2 unc. longus, 3-4 lin. crassus, floccis dense contextis farctus, ab annulo ad medium usque vaginatus, et pileo concolor; basi tumidulus, fibrillisque praeditus. *Annulus* cum pilei epidermide contiguus, patens. Caro alba, mollis, mucida, amaro-nauseosa.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XVII, *fig.* 4. Fungus adhuc junior, pileo subovato.

...., *fig.* 5. Idem mediae aetatis, in quo *a. a.* velum partim diductum cernitur.

...., *fig.* 6. Individuum naturali magnitudine, et in perfecto vegetationis statu delineatum.

...., *fig.* 7. Idem ad perpendiculum sectum, ut lamellarum ac lamellularum characteres, necnon stipitis pileique caro pateant.

NUM. II.

AGARICUS FUMOSUS, PERS.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. VIII. *Clitocybe* Fr.)

AGAR: gregarius rigidus; pileo carnoso glabro, dein planiusculo, nigrescente-fuligineo; lamellis confertis adnexis stipiteque solido fuligineo-albidis. - Ex PERS.

Agar. fumosus, PERS. Syn. fung. pag. 348. - Ejusd. Icon. pict. rar. fung. pag. 16, tab. 7, fig. 3 et 4 (minus conveniunt). - Ejusd. Myc. europ. sect. III. part. I, pag. 212. - FR. Syst. myc. vol. I, pag. 88-89. - Ejusd. Obs. II, pag. 102. - Ejusd. El. fung. sistens Comment. in syst. myc. vol. I, pag. 15. - Ejusd. Epicr. syst. myc. pag. 56.

Aestatis fine, praesertim post copiosas pluvias, repertus in sylvis frondosis, etiam in collibus aliisque locis asperis Aprutii (*S. Nicola*, *Morrone*, *Pietracamela*) et Lucaniae (*Persano*, *Londrano*, *Monte della Stella*). Noxius.

OBS. - Celeberr. PERSOONIUS in Myc. europ. de hac specie recte disseruit. » *Pileus* (en sua verba) 2-3 unc. » latus, substantia rigida, cartilaginea, subdifformis; se- » cundum D. FRIES: junior fuligineo-nigricans, dein fit ci- » nereo-lividus; etiam occurrit rimoso-squamulosus, et » subexcentricus ». *Lamellae* latiusculae, 2-3 lin., exsuccae, utrinque aequaliter attenuatae, interdum obscuriores, marginibus subflexuosae: lamellulae plus minusve

longae, postice sinuato-truncatae. *Stipes* in pileum diffusus, 2-3 unc. longus; at non raro brevissimus et basi curvus, 2-4 lin. crassus, farctus, inaequalis, glaber, apice plerumque albo-pruinosus. Caro tenax, albida, odorem mucidum ac amaritiem sentit.

Varietas exinde (β. *Agar. polius* (1), ut mirabilis antecedentis monstrositas a Friesio describitur, quae hucusque mihi obviam non venit. Jure demum ipsemet sagacissimus auctor nullam prorsus cum *Agar. virgato* affinitatem detexit, eamque sic firmat auctoritate sua. » Differunt enim inter se non tantum ut diversarum tri- » buum species, verum et statura tota, lamellarum for- » ma et annexione, pilei indole. *Agar. virgatus* fibrillis » nigris innatis semper virgatus, quarum in *Agar. fumoso* » ne vestigium quidem ». - El. fung. loc. superius cit.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XI, *fig.* 4. Individuum mediae aetatis, in superficie visum.

...., *fig.* 5. Individuum perfecte evolutum, pariter delineatum.

---

(1) » Densissime caespitosus, pileo griseo, lamellis stipitibusque inaequali- » bus albidis. - *Stipites* (40-50) in corpus carnosum basi connati, flexuosi, » glabri. *Pilei* 1/2 - 2 unc. convexo-plani. - In pinetis et fagetis, passim. Aug. - » Oct. ». Fr. Obs. I, pag. 19. - Ejusd. Syst. myc. vol. I, pag. 89. Sed majoribus indaginis percitus, hanc var. in posteriori opere (El. fung.) ad *Agar. albellum* Sowerb. (Fung. tab. 122) pertinere autumat.

TAB. XI. *fig.* 6. Idem per verticem discissum, in quo hymenii structura, necnon pilei stipitisque parenchyma commodius observantur.

NUM. III.

AGARICUS ROTULA, SCOP.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. IX. *Collybia*, Fr.)

AGAR: parvus subgregarius, raro caespitosus; pileolo membranaceo umbilicato, in tenellis convexiusculo flavo-pallescente, dein plano albo radiatim plicato, et ad oras crenulato; lamellis distantibus latis candidis stipitem libere cingentibus; stipite procero striato fusco-nitente, apicem versus dilutiore ac sensim attenuato.

Fungus caespitosus, parvus, pileolo fornicato, utraque parte albo, desuper striato, ac in medio pulchre umbilicato, subtus lamellis raris, tubo cuidam firmatis, cui inseritur pediculus capillaceus, nigricans. MICH. Gen. plant. pag. 195, tab. 74, fig. 5 (bene). - RAJ. Syn. pag. 9, num. 49. - *Agar. Rotula*, SCOP. Flor. carn. vol. II, pag. 456 (excl. syn. MICH.). - SOWERB. Fung. tab. 95. - PERS. Syn. fung. pag. 467. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. 1, pag. 275. - FR. Syst. myc. vol. I, pag. 136. - SWARTZ. Obs. bot. 1808, pag. 249. - DE CAND. Flor. fr. tom. II, pag. 158. - *Agar. androsaceus*, BULL. (non LINN., SCHAEFF. PET. et alior.) Herb. tab. 64 (junior) et 569, fig. 3. (minime var. β. *pileo flavido*, juxta DE CAND. l. cit., sed potius individ. senesc. et exsicc.). *Agar. nigripes*, SCHRAD. Spic. pag. 129. - VAHL. Flor. dan. tab. 1134, fig. 1. - *Merul. collariatus*, WITHER. Bot. arrang. IV, pag. 148. - *Marasm. Rotula*, FR. Epicr. syst. myc. pag. 385.

Sero autumno ad stipites emortuos *Nepetae Catariae* prope Neapolim, secus viam, vulgo *Cupa del Campo-*

santo, aliquoties vidi, uti et in Lucaniae sylvulis ad ramusculos aridos variarum arborum.

Obs. - *Pileolus* totus expansus 6 lin. latus; prima aetate illum *Agar. hygrometrici* perbelle simulat. *Lamellae* cum pileo homogeneae, convexiusculae, aequales, rarius a minoribus distinctae; postice coalitae, collarium circa stipitem efficientes. *Stipes* 1-1 $\frac{1}{2}$ unc. longus, vix $\frac{1}{2}$ lin. crassus, teres, subfistulosus, rectus; ast humoris expers, coriaceus et nonnunquam spiralis, sicut in paullo ante cit. nostro fungillo designavimus, evadit (1).

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XLII, *fig.* 4. Quinque hujusce speciei funguli diversae aetatis, in ramulorum frustulis adhaerentes.

...., *fig.* 5. Individuum perfectum, ingenita sua mole pictum, et per verticem divisum.

...., *fig.* 6. Idem sub lente vitrea delineatum, ut *a, a.* pilei crassities; *b, b.* lamellarum forma; *c, c.* collarium, et *d, d.* interior stipitis canaliculus dilucide conspiciantur.

...., *fig.* 7. Stipes spiralis pariter auctus.

(1) Conf. in *Agar. hygrometrico* obs., pag. 88 hujusce op.

NUM. IV.

AGARICUS ACICULA, Schaeff.

(Ser. II. Leucosporus.-Trib. X. *Mycena*, Fr.)

Agar: subtilis solitarius diaphanus; pileolo membranaceo miniato-aurantio, primitus subconico, postea obtuse campanulato; lamellis ventricosis distantibus aureis; stipite gracillimo fistuloso flavo, basi villis candidis circum-radicato.

Agar. Acicula, Schaeff. (non Sowerb., nec *Agar. Acicola*, Jungh.) Fung. tom. IV, pag. 52, tab. 222 (excl. omnino synon.).—Fr. Epicr. syst. myc. pag. 114.-*Agar. acicularis*, Pers. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 278, num. 6.-*Agar. coccineus*, Scop. Flor. carn. tom. II, pag. 436 (lamellae vero, una cum stipite, albae).—*Agar. Scopolii*, Lasch! num. 540.

Pulcherrima fungi species autumno in sylvula montuosa, prope regionem Salvitellensem, loco dicto *Coste-caggiane*, ad castanearum cortices marcescentes, et inter muscos nonnunquam inventa a fratre meo Aloysio, horum cryptophytorum collectore solertissimo.

Obs.-*Pileolus* humidus, margine obsolete striatus, siccus vero glaber, expallens, et in bene evolutis vix 1½ lin. latus. *Lamellae* rotundato-adnexae, subaequales, acie albicantes. *Stipes* a pileo discretus, capillaceus, tenax, nitidus, 9 lin. et ultra longus

Synonyma, nempe *Amanita flavus*, *viscidus*, *pi-*

leolo conico, HALL. Hist. num. 2421, var. β.-*Fungus alpinus, totus saturo-coccineus, seu kermisinus, pileolo hemisphaerico,* MICH. Gen. plant. pag. 150.-*Fungus parvus coccineus,* VAILL. Bot. paris. pag. 66, etc. sub *Agar. Acicula* a SCHAEFFERO relata, procul dubio ad *Agar. coccineum*, sive *miniatum* varior. auct. pertinent. Revera si hujusce fungi diagnosim inspexeris apud eundem mycologum (tom. IV, pag. 70), denuo ipsas phrases exacte transcriptas inveneris. *Agar. Acicula* autem a FRIESIO nunc in suo Syst. myc., pag. 267, *Agarico hypnorum* dubie subjunctus, nunc in Indice alphab. pag. 7, col. 1, *Agar. Clavo* antepositus, pro differentia aliquot specialium characterum, uti synonymon minime retinendus est. Solum *Agaricus gracillimus* DR. et LÉV., graphice depictus in elegantissimo opere nuper Parisiis evulgato, cui titulus: *Exploration scientifique de l'Algèrie. (Botanique par MM. BORY de S.t-Vincent et DURIEU de Maisonneuve, 1846)* cum fungillo *Acicula* ad multa quadrat.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XXIX, *fig. 3.* Par fungulorum naturali mole, et vario evolutionis gradu haec icon repraesentat.

...., *fig. 4.* Individuum perfectum sub lente visum.

...., *fig. 5.* Ejusdem sectio perpendicularis.

NUM. V.

AGARICUS VESUVIANUS, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. XI. *Omphalia*, Fr.)

Agar: parvus sparsus; pileo infundibuliformi subcarnoso aurantiaco, margine parum attenuato ac revoluto; lamellis crassiusculis adscendentibus albis; stipite in pileum diffuso tereti solido flavo, saepius retroflexo vel arcuato.

Ineunte novembri in ambulacris arenosis meae villulae circa Vesaevi radices, loco dicto *Gramignano*, post remissos imbres eum aliquoties legi.

Obs. - *Pileus* pro diverso evolutionis gradu 1-5 ½ lin. latus, glaber; at lentis ope subgrumosus, et non raro (in statu abnormi) varie lobatus vel cristatus. Senescente autem aetate, ejusdem margines obsolete striati ac inordinate dentati evadunt. *Lamellae* inaequales, angustae, subdistantes, exsuccae, postice acutae; majores fere 1 lin. latae. *Stipes* fibrillosus, elasticus, interdum pileo concolor, 7-13 lin. longus, teres, ad basim paullo crassior et albus; in speciminibus tandem monstrosis, cavus, et ad apicem sensim compressus. Caro albida, subtenax, insipida; dentibus vero contusa, odorem funginum sat debilem spirat.

*

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. III, *fig.* 3. Individuum *Agar. vesuviani* ab humo arida paullo post exortum.
...., *fig.* 4. Individuum ejusdem speciei magis evolutum.
...., *fig.* 5. Fungus perfecte explicatus.
...., *fig.* 6. Idem fungus ad perpendiculum sectus.
...., *fig.* 7. Individuum monstrosum, pileo perbelle lobato ac fere cristato.

NUM. VI.

AGARICUS OSTREATUS, JACQ.

(Ser. I. *Leucosporus.* - Trib. XII. *Pleurotus*, Fr.)

AGAR: caespitosus; pileo (adscendente) carnoso glabro e nigrescente-cinereo expallente; lamellis decurrentibus (subdistantibus' eglandulosis) albido-cinereis, postice ut plurimum reticulatim connexis; stipite (firmo elastico) albo-cinerascente laevi, aut piloso-strigoso sublaterali (obsoleto) vel nullo. - Ex VITTAD.

Sextum genus fungorum esculentorum, CLUS. Hist. fung. in Pannon. observ. pag. 266. - *Agaricum esculentum, squamosum, glabrum, superne obscurum, inferne subalbidum, et lamellatum.* MICH. Gen. plant. pag. 122. - *Agar. ostreatus*, JACQ. Flor. austr. vol. II, pag. 3, tab. 104 (quoad formam). - PET. Inst. bot. tom. V, pag. 2119, num. 35. - CURT. Flor. lond. tab. 216 (optime). - TRATTIN. Essb. Schw. pag. 92, tab. O (bene). - PERS. Syn. fung. pag. 477. - Ejusd. Champ.

com. pag. 216.- Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 35.-Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 182.- Ejusd. Epicr. syst. myc. pag. 133.- Roqu. Hist. des champ. pag. 80.- Chevall. Flor. par. vol. I, pag. 192.- Krombh. Schw. tab. 41.- Vittad. Descriz. dei fung. mang. pag. 25 (excl. synon. Flor. dan.), tab 4. (eximie). - Venturi Studi micol. pag. 12, tab. 4, fig. 30 et 31 (individ. pileis prorsus dimidiatis). - *Agar. inconstans*, Cord. Guid. de l'amat. de champ. pag. 152. - *Agar. dimidiatus*, an *conchatus*? Bull. Champ. tab. 508, 517, et 298 (quoad habitum, sed *Agar. glandulosus* ejusd. tab. 426, majori argumento ad *ostreatum* Jacq. pertinet; praeter vero pubescentes glandulas per fungi hymenium dispersas, quae, monente Vittadinio, uti tot sporulae in germinationis actu forsan habendae sunt. - Op. nuper cit. pag. 29).

Autumno pluvioso, et hieme apud nos facile occurrit, vere interdum redit. Habitat in truncis marcescentibus, praesertim vero juglandis, populi, salicis, mori, betulae. Recens vel siccatus merito in culinas ingreditur. A neapolitanis venditoribus *ricchione* appellatur, et ab agricolis Principatus Citerioris *fungio* vel *frenga de noce*. Etrusci *gelone, cardela, cerrena*; vulgo autem *ciaccer*, *carnetta*, *bortolan*, *orgel* etc. eum vocitant. Galli *agario en conque*, *oreille de nouret* aut *noiret*. Germani demum *der drehling*.

Obs. - » *Pileus* (1-3 ½ unc. latus), junior nigro-vio-
» laceus, varius, integer, subumbonatus, subinfundibu-
» liformis, vel omnino dimidiatus; circa margines sinuo-
» sus, vel etiam squamoso-turberculosus. *Lamellae* pa-
» rum numerosae, interdum solitariae, demum etiam
» pallescentes: lamellulae numerosissimae, longiores, po-
» stice rotundatae (vix 4 lin. latae). *Stipes* (0, vel 3
» lin. - 2 unc. et ultra longus) interdum centralis, regu-
» larissimus, supra dilatatus atque in pileum diffusus.

» Caro subtenax, fibrosa, aquoso-albida. Sapor gratus, » subdulcis; odor gratus, quasi *Polypori suaveolentis* ».- » VITTAD. l. cit.

HIST., CULT. et USUS. - Ad varias Italiae regiones, jam ab hinc annis, haec species palato gratissima e succo faeculaque baccarum *Lauri nobilis*, mediocri humo commixta, artificiose obtinetur (1); sed antiquitus ejusdem reproductio, ut asserit Carol. CLUSIUS (l. antea cit.) copiose efficiebatur » in truncis resectis supradictarum arborum, » si leviter terra, vel etiam solo stramine sepulti et tecti » putrescant ». Quod valde consonum est his, quae de *Agar. Aegirita* nonnulli scripsere (2).

Alia certe est illa species, quae non adhuc mihi se videndi copiam dedit, sub eodem vernaculo nomine *richione* a nostro PORTA, viro spectatissimae doctrinae rerumque Naturae perito, distincta; nam magna, tota alba, ac odoratissima ab eo describitur. En cl. auctoris verba: » Est et (fungus) candidus, odoratissimus, orbem vix utra- » que manu, diductis pollice et indice, cinges, tam esui » suavis, ut crudus edatur. Praebetur aegris innoxie; in- » colae *richione* vocant, quasi magnum fungorum re- » gem dicas » (3).

---

(1) Vid. *Annali di Fisica di Pavia*, tom. X, dec. II, pag. 232.

(2) Conf. hujus op. Specim. III, pag. 66-68.

(3) Villa. Francof. 1592, lib. X, cap. LXX, pag. 767. - Spectat ne ad genus diversum? Revera laudatus WITTAD. (op. cit. pag. 203) sub *Hydno Erinaceo* BULL., sive *Hericio Erinaceo* PERS., dubitanter illam retulit.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XLIII, *fig.* 1. *Agarici ostreati* aliquot caespites diversae aetatis, et e ligni frustulo tabe confecto assurgentes, haec imago proponit, ut eorum individua ferme a vegetationis initio usque ad perfectissimum gradum perbelle conspici queant.

...., *fig.* 2. Individuum ad maturitatem valde accedens, per verticem sectum, in quo carnis natura, lamellarum forma, et stipitis pubescentia clarius observantur.

NUM. VII.

AGARICUS OSTREATUS, Jacq.

Var. γ, Agar. flavo-cinereus, Pers.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. XII. *Pleurotus*, Fr.)

Agar: fasciculato-imbricatus, interdum gregarius; pileo carnoso subdimidiato convexo laevi cinereo-subrufescente; lamellis albidis, acie vero stramineis vel flavo-vitellinis; stipite laterali brevissimo villoso.

Agar. ostreatus, Jacq. Var. γ, *flavo-cinereus*, Pers. Syn. fung. pag. 478.- Var. β. Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 183.

Autumno, et non raro hieme ineunte ad truncos emortuos aut languentes *Quercus Cerri* et *Suberis* crescit. Pri-

mum mihi obviam venit in agro Campano, speciatim *Fondi*, *Lenula*, *Nola*, *Roccamonfina;* ubi praecedentis comes colligitur a ruricolis sub vulgari nomine *aurecchia de cierro*. Deliciosus, innocens.

Obs. - *Pileus* compactus, quandoque spatulaeformis, 1-3 unc. latus, initio cinereus, dein rutilans; margine in junioribus crassiusculo, lobato-reflexo, leviter striato, et saepius fisso; in senescentibus autem erecto, exili, ac dentato-lacero. *Lamellae* inaequales, subdistantes, 1-2 lin. latae, plus minusve supra stipitem decurrentes, et insimul anastomosantes: lamellulae numerosiores, postice acutiusculae. *Stipes* firmus, in pileum diffusus, minutissimo villo obsitus, 9 lin. - 1 unc. plerumque crassus. Caro tenerrima, fibrillosa, alba, odora et valde sapida.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XLIV, *fig. 1*. Quatuor fungi magnitudine varii, et ligni portiunculae simul affixi, qui diversos evolutionis gradus ostendunt.

...., *fig. 2*. Fungus exoletus ab hymenii facie visus, cum pileo spathulaeformi, ejusdemque marginibus acutiusculis ac dentato-laceris.

...., *fig. 3*. Fungus alter maturitati proximus, ad perpendiculum sectus, ut lamellarum, necnon internae pilei ac stipitis substantiae characteres aliquot pateant.

NUM. VIII.

AGARICUS OSTREATUS, Jacq.

Var. ε, Agar. melanoderma, Nob.

(Ser. I. *Leucosporus*. - Trib. XII. *Pleurotus*, Fr.)

Agar: caespitosus imbricatus; pileo subinfundibuliformi vel prorsus dimidiato carnoso nigrescente dein atro, margine involuto lobato hinc illinc fisso ac absolete striato; lamellis inaequaliter decurrentibus subarcuatis albis; stipite brevi crasso solido lamellis concolore.

Agar. melanoderma, Brig. jun. Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Disc. del Segret. cav. Monticelli). Nap. 1839, pag. 5. - An *Agar. atro-albus*, Otto, pag. 102, seu Var. β. *Agar. ostreati*, Pers. Syn. fung. pag. 477? (stipes revera in hac var. albo-nigrescens). - An *Agar. nigricans*, Vahl. Flor. dan. tab. 891 et 892, vel *Dendr. nigrescens*, Paul. Icon. fung. tab. 22?

Provenit ad novembris exitum in truncis caesis *Fagi sylvaticae*, et raro *Carpini orientalis*. Distinctus nomine *fungio* aut *frenga de faggio* a villicis complurium Principatus Citerioris oppidorum (*Buccino*, *Auletta Salvitelle*, *Sicignano* et alibi). Esculentus.

Obs. - *Pileus* perfecte evolutus, 2-5 unc. et ultra latus, stipitem versus declinatus, epidermide crassiuscula, subtenaci, glutinosa vestitus, quae in qualibet fungi aetate instar atramenti coloris tincta; unde verbum a μέλαν et δέρμα compositum. *Lamellae* latiusculae (2-4 lin.), distantes, integrae a dimidiatis variae longitudinis

distinctae ; nec, veluti in specie typica, » postice utplurimum reticulatim connexae » (1), at inter se semper liberae. *Stipes* 1 unc. longus, et totidem crassus, basi tantum subvillosus. Caro fibrosa, aquoso-albida, odore grata, sapidissima. - Facillime hic fungus exsiccatur, quo statu, ut rusticorum moris pro esu est, servari solet.

Cum var. β. *Agar. saligni* Pers. (Syn. fung. pag. 478), nempe *Agar. fuligineo* ejusd. (Obs. myc. II, pag. 45) videtur aliqua gaudere affinitate, sed ab accurata disquisitione dilucide patet discrimen; nam nostra varietas unquam pileum primo pulvinatum laevem, dein disco depressum et substrigosum, lamellas subramosas, nunc albidas nunc dilute cinereas, stipitemque omnino tomentosum habet (2).

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XLV, *fig. 1*. Pusillus fungulorum caespes hujusce varietatis, vix a corticis frustulo ortus.

...., *fig. 2*. Idem caespes perfecte maturus, sed naturali mole paullo minor, et facie antica visus.

...., *fig. 3*. Individuum per verticem sectum, ubi lamellarum ac lamellularum forma, necnon carnis contextus praecipue cernitur.

---

(1) Conf. *Agar. ostreati* Jacq. descript. et pictur. in praesenti Specimine, pag. 116, tab. XLIII.

(2) Vid. etiam Syst. myc. Friesii, vol. I, pag. 183, num. 10, et Epicr. syst. myc. pag. 133, num. 504.

NUM. IX.

AGARICUS BOLARIS, PERS.

(Ser. III. *Cortinaria.* - Trib. XXI. *Dermocybe*, Fr.)

AGAR: mediocris gregarius; pileo subcarnoso convexo obsolete umbonato flavescente, disco maculisque lateritio-rubris variegato; lamellis planis (subdecurrentibus) cinnamomeis; stipite flexuoso longiusculo pileo concolore. - Ex PERS.

Agar. bolaris, PERS. Syn. fung. pag. 291. - Ejusd. Icon. pict. rar. fung. pag. 31, tab. 14, fig. 1 (quoad habitum). - FR. Syst. myc. vol. I, pag. 228. Ejusd. Obs. II, pag. 52.

Insignem hanc speciem octobris mense in nemoribus fagineis montis Alburni, prope oppidulum Abetinae (*Petina*) ad terram semel collegi. Perrara, suspecta.

OBS. - *Pileus* in nostris speciminibus 1-2 $\frac{1}{2}$ unc. latus, junior convexus, mox conico-expansus, ad oras vix involutus tenuisque, rufus, squamulis maculaeformibus obscurioribus ornatus, epidermide rupta flavescens. *Lamellae* admodum confertae, inaequales, latiusculae (2-3 lin.) subventricosae, testaceo-cinnamomeae, dente mediocri annexae: lamellulae postice acutiusculae. *Stipes* subaequalis, fibrillosus, in tenellis farctus, dein leviter cavus, 2-3 unc. longus, 3-4 $\frac{1}{2}$ lin. crassus, apicem versus albido-pallens. *Velum* (*cortina*) siccum, dilute fulvum,

araneosum, fugacissimum. Caro aquoso-flava, mollis, in senescentibus subtenax, sapore ac odore levissimo raphani praedita.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. XXVIII, *fig* 4. Fungus junior, statura omnino propria depictus.

...., *fig*. 5. Fungus perfecte evolutus.

...., *fig*. 6. Idem per verticem sectus, quo lamellarum forma, et stipitis pulpa clare appareant.

NUM. X.

AGARICUS STROBILOIDES, Nob.

(Ser IV. *Derminus*. - Trib. XXII. *Pholiota ?* Fr.)

Agar. subcaespitosus mediocris; pileo hemisphaerico, demum convexo-explanato albo reticulatim sulcato, areolis prominulis polygonis apicibus truncatis ac fuscis; lamellis inaequalibus ventricosis rufescente-umbrinis; stipite pileo concolore, squamulis spadiceis undique ac inordinate cincto, loco annuli majoribus, at superius fere nudo.

Elegans haec species, et nemini affinis, autumnali tempore in locis Vesaevo propinquis provenit. Me vero fugit utrum e terra nascatur, an ex arboribus caesis: quoniam elapso octobri iter mihi facienti inter Pompejanum et

Herculanum, prope regiam viam occurrebant rusticulae, quae in patinis, uti edules, istos fungos vendebant, illos e populo decerpsisse affirmantes.

Obs. - *Pileus* carnosus, compactus subsiccus, 1-7 unc. latus; junior ad oras valde involutus, senescens expansus, et hinc inde fissus; epidermide crassiuscula, homogenea, difficulter secedente vestitus. Areolae inaequales, contiguae, ad pyramidis formam plerumque accedentes; centrales semper majores, periphaericae amorphae, confertae: unde, adjuncta voce *strobiloidis*, hunc fungum significare statui (1). *Lamellae* primo crispae, aquoso-fuligineae, deinde planae, numerosissimae, utrinque attenuatae, dente lineari ad annullum usque sensim decurrentes; marginibus obsolete repandis: lamellulae minus latae, postice acutiusculae. *Stipes* in pileum diffusus, firmus, teres, 1 $\frac{1}{2}$-2 unc. et ultra longus, deorsum 3-4 $\frac{1}{2}$ lin. crassus. *Velum* membranaceum, siccum, annuliforme. *Sporidiorum* color fulvo-ferrugineus. Caro alba, tenera, illi *Agar. Aegiritae* analoga; sed in individuis exoletis vel tabefactis vinacearum recentium odorem spirat.

---

(1) Nec enimvero pro ejusdem appellationis origine confundendus est cum *Agar. strobilino* Pers. vel *strobiliformi* Vittad., quorum phrases specificae ac imagines hocce fusius comprobant. - Vid. Syn. fung. pag. 393, et *Descriz. dei fung. mang.* pag. 59, tab. 9.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XLVI, *fig.* 1. Duo fungi aetatis prorsus diversae, *a.* junior, *b.* maturitati proximus, in corticis frustulo adhuc haerentes.

...., *fig.* 2. Individui nondum explicati sectio perpendicularis, ubi *a, a.* hymenium crispum, a velo *b, b.* jam ex parte solutum, observatur.

...., *fig.* 3. Individuum perfecte evolutum, a pilei vertice ad stipitis basim sectum, ut carnis natura, et lamellarum characteres appareant.

NUM. XI.

AGARICUS DULCAMARUS, PERS.

(Ser. IV. *Derminus.* - Trib. XXVI. *Inocybe*, Fr.)

AGAR. mediocris; pileo subcarnoso hemisphaerico umbonato cervino, squamulis pilosis adpressis; lamellis confertis toto-adnexis ex argillaceo dilute olivaceis; stipite longitudine mediocri solido subnudo. - Ex PERS.

Monomyces totus villosus, BATTAR. Fung. arim. pag. 42, tab. 18, fig. A. - *Agar. dulcamarus*, PERS. Syn. fung. pag. 324. - Ejusd. Icon. pict. rar. fung. pag. 34, tab. 15, fig. 2. - Ejusd. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 197. - FR. Epicr. syst. myc. pag. 171. - *Agar. lucifugus*, ejusd. Syst. myc. tom I, pag. 258 (junior status). - Ejusd. El. fung. vol. I, pag. 32 (var. b, *major*, *robustior*, *difformis*, ibid. etiam relata, non adhuc mihi obviam ivit).

Autumno post crebriores pluvias in pinetis acclivibus Calabriae occidentalis (*Aspromonte*), et in graminosis circa Neapolim (*Pascone*) rarissime quoque occurrit. Suspectus.

Obs. - *Pileus* $\frac{1}{2}$ - 1 $\frac{1}{3}$ unc. latus; junior subhemisphaericus, mox campanulato-convexus, demum expansus et obtuse umbonatus, firmus, siccus, totus e fibrillis longitudinalibus innatis vestitus; colore variat, modo olivaceus, saepe expallens, raro cervinus; ad oras tenuis, subfimbriatus, aetate autem senescente utplurimum lacer. *Lamellae* densae, ventricoso-latiusculae (2 lin. aequant), ob pilei formam mutatam subinde arcuato-adfixae, primo albidae, dein lutescentes, tandem obscuro-olivaceae: lamellulae subrotundatae, postice denticulo acutissimo desinentes. *Stipes* 1-2 unc. longus, vix 2 lin. crassus, subrigidus, aequalis, leviter flexuosus, dein tantillum cavus, pileo fere concolor, etiam e fibrillis exilioribus dispersim obductus, apice albo-pulverulentus, ad basim vero villosus. *Velum*, more tribus, e fibrillis pilei continuatum, fugacissimum. Caro albo-flavescens, odor ingratus, sapor bene pro specifico fungi nomine distinguitur.

ICONUM EXPLICATIO.

Tab. IV, *fig.* 3. Naturali magnitudine, et in perfecto vegetationis statu hic fungus delineatus est.

...., *fig.* 4. Ejusdem fungi sectio perpendicularis, ad partes interiores ostendendas.

Tab. IV , *fig.* 5. Individuum prima sua aetate pictum.
. . . . , *fig.* 6. Individuum senectute confectum, cum pilei margine inordinate scisso.

NUM. XI.

AGARICUS PITYRODES, Nob.

(Ser. IV. *Derminus.* - Trib. XXVII. *Naucoria* , Fr.)

Agar : pusillus gregarius; pileolo submembranaceo sicco minute umbonato ex albido-rufescente, exiguissimis squamulis obsito , margine striato ac perbelle denticulato; lamellis inaequalibus distinctis adnexis pallidis ; stipite mediocri fulvo scabro, deorsum strigoso.

Agar. pityrodes, Brig. jun. (non *pityreus*, Fr. Epicr. syst. myc. pag. 204) Ragg. de' lavori accad. della Soc. R. Borb. (Disc. del Segret. cav. Monticelli) Nap. 1839, pag. 5. - An *Agar. graminicola* Neesii ? Syst. pag. 202 , tab. 23, fig. 186 (non vidi). - Fr. Syst. myc. vol. I, pag. 261. - Pers. Myc. europ. sect. III, part. I, pag. 159.

Habitat ad culmos semivirides *Agrosteos vulgaris* , quibus valde adhaeret , et eodem tempore ac loco (*Cupa del Camposanto*) cum *Agar. Rotula* repertus.

Obs. - *Pileolus* primo subhemisphaericus, mox planiusculus, obsolete striatus, et latitud. 4 lin. ferme aequat ; superne villis , sub lente squamulis innatis fulvis , circa marginem vero rarioribus ac dilutioribus quam in centro , tectus. *Lamellae* subventricosae, alternae, dein flavo-gri-

seac: lamellulae postice subacutae. *Stipes* tenax, leviter fistulosus, 5 lin. longus, ad basim vix $\frac{1}{2}$ crassus; sursum versus sensim attenuatus, incurvus, et pariter squamulis praeditus.

Hic fungillus est persistens, et cum exsiccetur, ejusdem superficies magis furfuracea notatur; quapropter sub graeca voce πιτυρώδης denuntiavimus. Pileus porro formam globosam, coloremque fuscum acquirit.

ICONUM EXPLICATIO.

TAB. XLII, *fig* 1. Pars culmi, cui varia descriptae speciei individua in diverso evolutionis gradu adhuc annexa conspiciuntur.

...., *fig*. 2. Fungulus maturus naturali magnitudine paullo major, et ad perpendiculum dissectus.

...., *fig*. 3. Ipse fungulus beneficio exquisitioris lentis delineatus, ut ejusdem partes distinctius observari possint.

INDEX

FUNGORUM, QUI IN QUINTO HOC SPECIMINE CONTINENTUR.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. X, lin. 5. exigi, leg. exegi.
» 9 — 17-18. dis-postis, leg. dis-positis.
» 16 — 9. Trib. IV, leg. Trib. V.
» 24 — 24. dilutiori colore tinctus, leg. colore dilutiori tinctus.
» 34 -- 23. *Agar. plicatus*, del. (non *flavipes*).
» 35 — 1. (juxta erroneam auctoritatem Pers....), pone (non *flavipes*, juxta erroneam auctoritatem Pers.....).
» 47 -- 18. et praesertim vertice, leg. rarius vertice.
» 49 -- 2. adhaeres, leg. adhaeret.
» 51 — 2. not. (1) ann. 1828, leg. 1826.
» 54 — 1. Pesoonium, leg. Persoonium.
» 57 -- 9. verminibus, leg. vermibus.
» ib. -- 24. representat, leg. repraesentat.
» 63 -- 5. tutius, leg. totius.
» 65 -- 13. ante synon. *Agar. Aegiritae*, Brig. add. Αἰγειρῖται, Graec.-*Populnei fungi*, Lat. - Dod. Hist. stirp. pag. 482. - *Fungi in populo alba* Matth. in Diosc. pag. 133. - C. Bauh. Pin. pag. 370, col. 1.
» ib. -- 26. post (.....adscribit), add. - An *Agar. Aegerita*? Fr. Epicr. syst. myc. pag. 164 (a nostro fungo recedit pileo rivuloso-fibrilloso subsericeo, stipite glabro etc.).
» 66 — 20. post. Hist., pone Cult.
» 85 — 25. *dieppe*, leg. *de dieppe*.
» 88 —. 9. Montg., leg. Montag.
» ib. — 15. Vesevum, leg. Vesaevum.
» ib. -- 21-22. gla-berimus, leg. gla-berrimus.
» 117. -- 19. *agario*, leg. *agaric*:

*

ELENCHUS MYCOLOGICUS,

SISTENS

Omnes species in praecedentibus quinque distributionibus vel descriptas vel recensitas, una cum varietatibus et synonymis, secundum alphabeti ordinem digestus.

Literis obliquis, sive cursivis, impressa nomina Synonymorum.

FUNGORUM NOMINA


Tum a nostratibus, tum ab exteris vulgo usitata, quibus respondent systematica.

(*) In posteriori hoc opere (pag. 3) se emendavit, et speciem prorsus distinctam ab *Agar. ovoideo* Bull. sub nomine *Coccola* statuit.



Agaricus ovoideus Bull. (var. a. *leucosarcos* Nob.)

Fig. 1










1, 2 Agaricus caeruleo viridis Nob.

3_7 Ag. vesuvianus Nob.



1, 2. Agaricus albo-sericeus Nob.

3-6. Ag. dulcamarus Pers.



1_3. *Agaricus limacinus* Schaeff.
4_6. *Ag. Clavus* Linn.

Th. Lombardi sculp.



Agaricus albo-brunneus Pers.

Th. Lombardi sculp.



Agaricus flavo-virens Pers.

Joseph Aruta sculp.



Agaricus luridus Schaeff.

Ioann. Imperato sculp.



Agaricus vaccinus Schaeff.

Raph. Radente sculp.










Agaricus conicus Scop. (var. e. *Chroma* Nob.)



1_3. Agaricus ceraceus. Wulf.

4_6. Ag. fumosus Pers.

Raph. Radente sculp.






1–3. *Agaricus velutipes* Curt. (var. ε. melanorrhizus Nob.)

4–7. *Ag. androsaceus* Linn. (var. a. hygrometricus Nob.)




Agaricus auricolor Nob.



1-3. Agaricus Palmarum Nob.

4-7. Ag. Nucidae Nob.



1-2. *Agaricus phoeniceus* Nob.

3-5. *Ag. rhizophilus* Nob.









1, 2. Agaricus Bullula Nob.

3, 4. Ag. planipes Nob.



1_3. Agaricus epipterygius Scop.
4_7. Ag. Carcharias Pers.

Ioann. Imperato sculp.



1, 2. Agaricus leucostigma Nob.

3, 4. Ag. cyathiformis Bull.



1. 4. *Agaricus fragrans* Sowerb.

5. 10. *Ag. tener* Schaeff.

Ioann. Imperato sculp.



1_4. Agaricus cynotis Pers.

5. 6. Ag. versatilis Nob.

Pasch. Imperato sculp.



Agaricus melleus Vahl. (var. a. _ Vitis Nob.)



Agaricus nemoreus Pers:

Pasch. Imperato sculp.



Agaricus Coffeae, Nob.

Fr. Briganti del. 1824.




Fig. 1.
2
3


Fig. 1.
2.
4.
b.
b
a.
a



1, 2. *Agaricus sinuato-undatus* Nob.

3-5. *Ag. oxyosmus* Montag.



1_3. *Agaricus Hesperidum* Nob.

4_6. *Ag. bolaris* Pers.



1. 2. Agaricus lobato-repandus Nob.
3-5. Ag: Acicula Schaeff.



Agaricus cinnamomeus Linn. (var. a_ semisanguineus Fr.)

Ioann. Imperato sculp.



Agaricus ochroleucus Schaeff.

Raph. Radente sculp.



Agaricus ochroleucus Schaeff.

Raph. Rudente sculp.



Agaricus A

Ferd. Cataneo



Ferd. Cataneo

Fig. 1.

3







2




4




5. b



5. a



5. c



Ioann. Imperato sculp.



Agaricus bombycinus Schaeff.


Ferd. Cataneo sculp














1_3. *Agaricus geniculatus* Nob.

4_6. *Ag. filicinus* Spreng.



Agaricus Medusa Nob.



1_3. Agaricus tuberculatus Nob.

4_7. Ag. anguinus Nob.

Raph. Radente sculp



Agaricus melleus Vahl. (var. b. _ Coryli Nob.)

Raph. Radente sculp.




Agaricus oreades Bolt.

Ferd. Cataneo sculp.




Agaricus croceo-auratus Nob.



1_5. *Agaricus adpressus* Nob.
6_8. *Ag. mollis* Schaeff.

Pasch. Imperato sculp.



1_3. Agaricus pityrodes Nob.
4_7. Ag. Rotula Scop.



Agaricus ostreatus Jacq.

Raph. Radente sculp.



Agaricus ostreatus Jacq. (var. γ. *flavo-cinereus* Pers.)

Ferd. Cataneo sculp.



Agaricus ostreatus Jacq. (var. ε – melanoderma Nob.)

Ferd. Cataneo sculp.







Agaricus strobiloides Nob.



